

I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

qua

JURA
ESSLINGENSIA
CIVILI ET CANONICO
COMMUNIQUE IMPERII JURI

conferuntur,

PRÆSIDE ÆTERNO JURIUM LATORE

EX DECRETO

Magnifici Jurisconsultorum Ordinis
in Alma Argentoratensium

Pro consequendis rite & legitime Doctoralibus
in utroque jure honoribus & privilegiis,

Academica Eruditorum disquisitioni

exhibita

à

JEREMIA GODEMANN
Eßlingensi.

Ad D. XVI. Martij A.O.R. M DCC I.

Horis Locoque solitis.

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

II. urb. Germ.

530,44

ILLUSTRIS
REIP. ESSLINGENSIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
PRUDENTISSIMIS DOMINIS

DNIS. CONSULIBUS,
PRÆTORI, QUINQUE-
VIRIS, CONSILIARIIS,
RELIQUISQUE SENATORUM
ORDINIBUS,

MÆCENATIBUS SUIS OPTIMIS, MAXIMIS,

ITA JUBENTE VINCULO,

QUO

SUBDITUS DOMINO, PATRONISQUE CLIENS

NECTITUR,

ITA VOLENTE IPSO DISQUISITIONIS


ARGUMENTO,

Quicquid heic laboris est,

ac simul omnes conatus ac studia sua & impofterum

D. D. D.

Respondens.



PRÆFATIO.



Um in eligendo Disputationis Inauguralis Themate dubius hærebam, monitum illud paternum jam olim mihi inculcatum in memoriam revocavi; Nihil absurdius excogitari posse, quam mores & consuetudines externarum Regionum multis sumptibus investigare, Patrias autem Observationes, Ordinationes, Leges & Consuetudines hinc inde quotidie occurrentes aut floccipendere aut planè ignorare. Cum tamen nos præcipuè Patriæ natos esse, omnes uno ore confiteri teneamur, ni objurgationem Quinti Mutii audire velimus: *Turpe esse Civi præsertim Patricio & Nobili & causas Oranti, Jus in quo versatur ignorare l.2. §.43. ff. de Orig.*

A

Orig.

Orig. Fur. Sepositis ergo aliis Disputatio-
 num materiis non abs re paternoque mo-
 nito conveniens duxi DE DIFFEREN-
 TIIS JURIS CIVILIS ET STATU-
 TARIJ ESSLINGENSIS Disquisitio-
 nem præsentem conscribere & exemplis
 demonstrare, in quibus Jus Statutarium &
 Consuetudinarium Esslingense pro diver-
 sitate materiæ à jure Civili Romano,
 Canonico, & Imperii novissimo, præser-
 tim autem Vicino Jure Provinciali Würt-
 tembergico recedat. Cujus difficultates
 & differentias si non planè omnes, supera-
 re & enucleare, saltem loco speciminis In-
 auguralis, qualitercunque exhibere & pro
 modulo Ingenii discutere liceat. Id quod
 feliciter & ex voto succedat, faxit DEUS
 T. O. M. Qui in omnibus nostris actioni-
 bus sit principium, medium, & terminus.

juxta Novell. 109. in pr.

THESIS I.

T H E S I S I.

INstituentibus ergo disquisitionem de ^{de Jure Legislatorio Civ. Imp. in genere.} Jure Eslingensi Statutario seu Consuetudinario, statim in principio hæc præliminaris quæstio solvenda occurreret: An scilicet Civitates Imperiales in suis locis & territoriis, leges speciales & Statuta sive jura Municipalia condere possint? Quam quæstionem in affirmativam resolvit Ipsa Ordinatio Politica de anno 1577. tit. von Juden 20. §. fin. *ibi: doch soll hierdurch denen Churfürsten und Ständen an Ihren von Uns habenden Kayserlichen Regalien, Privilegien und zustehenden Gerechtigkeiten Ordnungen zu machen nichts præjudiciret oder benommen/ sondern Ihnen vorbehalten seyn. Ordin. Cameral. part. 1. tit. 13. & 57. part. 2. tit. 1. Coler. de proc. exec. part. 1. cap. 3. n. 6. Besold. Thesaur. pract. verbo. Gesatz: Theodor. Reinking. de Regim. Sec. lib. 1. Class. 5. cap. 6. n. 7. Klock. 1. consil. 20. num. 126. & seqq. Schrader. de Feud. part. 10. sect. 8. n. 28.* Verum de hoc equidem argumento ex professo nuperrime & præliminariter egimus in dissertatione, qua *Jus Legislatorium Territoriale Civitatum Imperialium* exponere & propugnare nisi sumus, unde quantum ad fundamentum Juris nostri Statutarii stabiliendum satis est, facile hauriri poterit. Sed & speciatim Eslingæ nostræ mentionem fecimus in §. 13. & quomodo privilegium circa ferendas leges eidem concessum intelligi debeat, in §. 14. explanatum dedimus. Hic illud addimus; etiam alia jura Civitati Eslingensi per modum privilegii olim concessa, quæ tamen jure superio-

rrioritatis territorialis continentur. Ita Imperator Sigismundus Imperiali Eßlingæ anno 1433. concessit, daß die Stadt Eßlingen in der Plienshalden/ (utpote in proprio territorio) allerley Erbsuchen und graben möge; Ubi eidem utique doctrinæ locus est, quam dissertatio citata d.l. exhibet.

T H. II.

De Jure
Statutario
Eßlingen-
si in gene-
re,

Intelligimus autem per Jus Eßlingense Statutarium in præfenti nostro Themate non Jus Civitatis Publicum & quod principaliter ad Statum & Utilitatem Reipublicæ Eßlingensis spectat, de quo §. *fin. Inst. de J. & J.* sed Jus privatum quod principaliter ad privatorum utilitatem spectat: de quo dictus §. *fin. Inst. de J. & J.* Quotiescunque enim sermo fit de Statutis Eßlingensibus von dem Eßlingischen Stadt-Recht communiter subintelliguntur illa Statuta scriptis comprehensa quæ agunt de Successionibus ab intestato, & vulgò vocantur & inscribuntur das Eßlingische Stadt-Erb- oder Verfangenschaft-Recht; quæ ut paucis multa comprehendunt, ita etiam non raro latiori explicatione opus habent. Et cum hoc Jus Statutarium olim ideò in dubium vocatum fuerit, quasi nunquam promulgatum seu publicatum fuisset, quod tamen præcisè ad validitatem Statutorum requiritur. *l. 9. Cod. de Defensor. Civit. & Novell. 66. Bald. cons. 382. lib. 2. gloss. & Dd. in cap. 2. X. de constit. Besold. Consil. l. 278. n. 66. & 67. Carpzov. lib. 1. Respons. Jur. Elector. 48. & decis. 3. n. 8.* Exactis tamen Eßlingensibus Publicis authenticis scil. Protocollis & Statutorum libris demonstratum fuit; Hocce Statutum in an. 1552. 1555. die homagii consueto an dem gewöhnlichen Schwörtag per modum Extractus post-

postmodum in anno 1626. præcedenti facta Revisione à Beato Domino D. Kreidenmann quondam Reipublicæ Eslingensis Syndico meritissimo, loco solito, cum omnibus contentis punctatim prælectum & promulgatum, idque usque ad annum 1636. inclusivè observatum, & sicuti cætera Statuta observanda juramento confirmatum fuisse. In subsequenter autem annis crescentibus Statutis hujus specialis Statuti saltem relativè generalis mentio facta fuit, daß es bey dem uhrs alten Verfassungschafft Recht und dessen Erläuterung gelassen werden solle; Sub speciali rubrica von der Verfassungschafft: ubi ulteriorem informationem desiderantes ad Cancellariam remittuntur, quæ rubrica autem in novissimo ante paucos años conscripto Statutorum libro omissa, non autem ideò sublata est. Ita ut de nostri Statuti autoritate & validitate neutiquam dubitandum sit.

T H. III.

Cum autem præcipuus Statutorum Eslingensium tenor in successione Conjugum & liberorum consistat, non incongruè statim in initio §. *allhier ist forderist zu wissen* Juris nostri Statutarii præmittitur ante omnia ad pacta dotalia atque ultimarum voluntatum dispositiones seu Testamenta respiciendum & secundum illa judicandum esse; De Solennitatibus autem in erectione illorum adhibendis nulla fit mentio; Unde manet Regula: Statutorum verbis deficientibus ad Jus commune esse recurrendum & quod in illis non decisum manere sub dispositione Juris communis *l. 6. ibi Jason. ff. de condict. caus. dat. l. 10. ff. d. Lib. & Posthum. l. 22. ibi Bartol. ff. solut. matrim. Cephal. cons. 323.*

De pactis
dotalibus
& successione.

De pactis
circa suc-
cessionem.

num.28 Dec. cons. 71. n.2. Nat. consil. 463. num. 12. Me-
vius in Consil. posthum. Consil. 21. num. III. 112. & 193. Est
in hoc differt nostrum Jus Eslingense Statutarium à
Jure Civili communi quod omnia pacta affirmativa
de succedendo quæ respiciunt paciscentium hæredita-
tem pro invalidis declarat. l. 61. ff. de F. O. l. 15. & l. 19.
Cod. de pact. Pacta enim ad obligationem constituen-
dam non autem ad hæreditatem deferendam suffi-
ciunt. Bachov. ad Treutler. vol. 1. disp. 6. th. 8. lit. A. sed
contrarium & quod etiam per pacta deferantur hære-
ditates generalis consuetudo Germaniæ obtinet, de
qua testatur Myns. C. 2. O. 33. Andr. Gail. lib. 2. Obs. 117. n. 6.
Bened. Carpzov. part. 2. constit. 43. defin. 2. Quod & de
Gallia & Hispania asserit Hartm. Pistor. l. 4. quest. 2. Un-
de etiam Jus Prov. Württembergicum hujusmodi pacta
pro validis agnoscit; part. 3. tit. VIII. Et hæc pacta
multarum gentium moribus approbata esse etiam te-
statur Christin. vol. 1. decis. 133. n. 3. & Grænevveg. ad l. 15.
C. de pact. n. 4.

TH. IV.

De forma
pactorum
dotalium.

Quæ pacta dotalia in forma sufficienter probanti
valida atq; legali sunt conficienda quod denotant ver-
ba Statutorum Eslingensium Nach solchen kräftigen
beglaubten Heuraths-Abreden in §. allhier ist vorderist.
Quæ forma cum in ipsis Statutis (excepto Pacto specia-
li Unionis Prolium) non sit Præscripta juxta supra de-
ducta ex Jure Civili desumenda est; Quod ad pacta
dotalia ut in vim ultimæ voluntatis valeant, ad mini-
mum quinque Testes requirit; argum. l. ult. §. ult. Cod.
de Codicill. Hahn. in not. ad Wesenbec. tit. de pact. dotal.
num. 4. Carpzov. part. 2. Const. 43. defin. 2. in pr. Besold.
consil.

consil. 147. num. 23. & seqq. Si autem hujusmodi pacta sub certa stipulatione in vim contractus inita fuerint, nec quinquenario numero testium opus esse existimamus. *l. 12. ff. de Testibus. l. 9. §. 1. C. eod. Befeld. consil. 168. n. 16.* Jure Württembergico etiam inter personas solutas & si nulli ex priori matrimonio adsint liberi tres idonei testes ex utraque paciscentium parte adeoque numero 6. requiruntur, qui paciscentibus ab intestato successuri non sunt, quibusque consanguinitatis Exceptio objici nequit *J. P. W. part. 3. tit. 8. §. Es sollen auch.* Nullis ergo existentibus Liberis de Jure Statutario Esslingensi quinque qualescunque modo omni exceptione Majores sint, de Jure autem Württembergico sex supra descripti Testes in conficiendis pactis dotalibus Successoriis sunt adhibendi. Existentibus autem liberis ex priori alterutrius matrimonio, Jure Prov. Württembergico præter illos 6. Testes etiam liberorum tutores & proximiores cognatos defuncto patri vel matri conjunctos advocari necesse est. *dict. §. Es sollen auch. part. 3. tit. 8.* A quo non in totum est discrepans Jus nostrum Statutarium Essling. similiter requirens liberorum prioris matrimonii aut si sint minores proximiorum Cognatorum aut Tutorum scientiam & consensum. In hoc tamen tanquam in casu non expresso est in differens adeoque juri Civili conforme: Quod non præcise sex sed saltem quinque Testes requirantur, qui si non omnes tamen aliqui ex proximioribus liberorum Agnatis vel Cognatis aut Tutoribus sunt eligendi; per verba mit den Kindern oder derselben nächsten Befreundten wissen und bewilligen §. Jedoch solle. Et per verba Und da sie Minderjährig

jährig ihre Pflegere oder nächste Verwandten; §. Erstlich solle die; quæ verba alternativè intelligenda juxta naturam dictionis propriam oder *l. 2. Cod. de Profess. & Med. & l. 1. ff. de reb. Cred.* Et licet ibi de pacto Unionis prolium loquantur, tamen ob identitatem rationis, quæ semper est anima Legis *l. 17. ff. de LL.* scil. minorennitatis etiam ad alia pacta dotalia, quotiescunque Liberi minorenes ex priori matrimonio supersunt, sunt extendenda. Ratio specialis exprimitur in allegato §. Jedoch solle; per verba: darmit ohne der Kinder Nachtheil verfahren werde. Ne quid scil. in ipsorum præjudicium fiat; & juvenilis ætas, quæ multis captio- nibus supposita *l. 1. in pr. ff. de Minoribus.* ullum incurrat damnum; Ubi enim majus est periculum, ibi etiam cautius est agendum. *c. ubi majus 3. de elect. in 6. l. 1. §. 5. ff. de Carbon. Edict.* Et ut eo cautius agatur per Proximiores Agnatos vel Cognatos der Kindere nächste Befreunde intelligendi sunt Proximiores ex linea Prædefuncti Parentis; Von denen Nächsten der Kinder Vater und Mutter scilicet præmortui Magen oder Verwandten §. Fünffstens. von dem. qui terminus antiquus Magen quo utuntur nostra statuta nihil aliud quam Proximos Agnatos vel Cognatos denotat, exinde derivari putat *Georg. Rotschitz in tract. von Mitsgiffte gerade &c. artic. 14. n. 3.* daß der Magen bedeute den Begriff und Ursprung der Bluts-Freunde: wie sonst der Magen die Speisung und Dauung betrifft/ und der Leber einen Ursprung zum Geblüt giebet. Et dividuntur in Schwerdt-Magen/ i. e. agnatos proximos linea paterna & Spiel-Magen/ i. e. cognatos linea materna nobis conjunctos; videatur *Besold. Thes. Pract. vocabulis Schwerdtis*

Schwerdt, Magen & Niffel-Gespinnne und Spiel-Mas-
gen. Huncque etiam morem apud Aurelianenses
observatum fuisse testis est *Annaeus Robert. rer. judicat.*
Curia Paris. lib. I. cap. I. pag. 784. Ubi: apud nos ait pro-
pinqui & Amici convocari solent, ut pactis dotalibus &
nuptiarum solennitati praesentes adsint, adfinitati legem
dicant, omniaq; maturo consilio, prudentia & auctoritate
sua moderentur,

T H. V.

Non inconvenienter autem praecedenti thesi haec
quaestio annectitur, an in conficiendis pactis dotalibus
Successoriis necesse sit, ut illa ad imitationem Testa-
mentorum unico contextu & actu perficiantur, & ut
testes omnes praesentes existant, an verò sufficiat ut
pactum tale testibus ad subscribendum domum mitta-
tur? Cum non rarò imò plerumque accidat, ut testes ad
contrahenda sponsalia & desuper conficienda pacta
dotalia rogati simul ut hospites invitati, antequam pa-
ctum dotale in scripturam redigatur, lautis conviviiis
ita excipiantur, ut ipse actus subscriptionis per mutuas
computationes impediatur? In qua quaestione cum
Amplissimae Facultatis Juridicae Tubingensis Responso
de an. 1617. in affirmativam inclinamus; Quod scilicet
sufficiat, ut pactum tale testibus ad subscribendum do-
mum transmittatur; dummodo tamen testes à pa-
ciscentibus audiverint contenta pacti, & ab ipsis ad sub-
scribendum fuerint requisiti; Etiam si tales testes nun-
quam fuerint congregati; Et demum post conventio-
nem talem ex intervallo de subscribendo & figillan-
do fuerint rogati. Referente hoc *Besoldo in Diss. ad*
part. 3. J. P. W. tit. 8. n. 69. Ubi addit Magni etiam no-
B *minis*

minis Jureconsultos in nuptiis suorum Liberorum non aliam formam observasse.

TH. VI.

de pact.
dot. secun-
dum Jus
Würtemb.

In Civitate Eslingensi nihil communius, quam hujus tenoris pacta dotalia conficere, quod paciscentes in casu successionis futuræ Jus Vicinum Württembergicum circa successiones velint observare: **Sie wollen auff das Hochfürstliche Württembergische Land-Recht heurathen.** Non meliori via sibi suisque prospicere posse existimantes, qui tamen pro varietate casuum sæpius falluntur & labuntur; Præsertim si uno vel altero Conjuge mortuo rei familiaris detrimentum emergat, quod juxta Provinciale Jus Württembergicum ex natura contractæ societatis æqualiter ferendum. Quo casu facile accidere potest, ut detrimentum rei familiaris tanquam onus commune omnia allata totamque substantiam Superstitis Conjugis consumat; Quod paucissimis hoc Exemplo demonstramus: Sempronius ducit Cajam, Illius allata substantia consistebat in 1000. Cajæ autem in 3000. florenis, facit in summa 4000. florenos; Mortua Caja, docet Inventarium, totam substantiam ære alieno exhaustam esse usque 1000. florenos, Sempronius cum pro dimidia parte teneatur rei familiaris detrimentum scil. 1500. flor. suscipere, & quoad alteram dimidiam partem superstitem sit hæres, à restantibus 1000. florenis, nihil accipit, utpote qui Proximis Defunctæ Uxoris agnatis competunt. Et sic detrimentum rei familiaris & sua allata & à præmortua uxore expectatam hæreditatem devorat; Certum ergo qui-

quidem succedendi modum præscribit Jus Württembergicum, sed non semper superstiti Conjugi proficuum, imò interdum maximè damnosum; Præsertim si magna sit differentia inter Conjugum allata, & ingens disparitas Ipsius rei familiaris. Sicque parum conferens in Societatem Conjugalem æquè de detrimento rei familiaris tenetur ac alteruter qui multum contulit, quod naturæ Societatis repugnare videtur. Prospiciant ergò sibi quicumque voluerint; Qui autem neglexerint, sentiant illud Scævola: *Jura Vigilantibus & non dormientibus esse scripta l. 24. ff. in fin. quæ in fraud. Cred. alien.*

T H. VII.

Ex hujusmodi Pactis dotalibus in generalioribus secundum jus vicinum Württembergicum erectis plus simplici vice hæc orta fuit controversia: An Conjuges etiam extra casum successionis in dictis pactis definitum, in qualibuscunque obvenientibus casibus, seposito Jure Eßlingensi Statutario, dictum Jus Württembergicum strictè pro Norma & Regula observare & agnoscere teneantur? Quam controversiam & olim & non ita pridem in judicio contradictorio ventilatam, & tandem per definitivam negativè decisam fuisse. Ex relatione Domini Parentis accepi, ex hisce scilicet prævalentibus rationibus; Quod scilicet pactorum natura sit strictissima, ita ut talia pacta ultra speciale objectum non sint extendenda *l. 35. l. 37. §. 1. ff. de pact. l. 5. l. 9. §. ult. ff. de Transact. Roland, à Valle Vol. I. cons. 39. num. 5. Modest. Pistoris Vol. I. consil. I. num. 29. Wesembec. cons. 3. num. 29. Frideric. Pruckmann. Vol. I.*

cons. I. num. 132. & cum plerumque de successione in casum Mortis unius vel alterius Conjugis sint concepta, ad alium diversum casum minimè redigenda. Quandoquidem pacta super unâ re inita, nullam extensionem ad aliam rem patiuntur. *l. 27. §. 4. vers. ante omnia. ff. de pact. l. 2. ff. de serv. prad. urb. l. 31. C. de Transact. l. ult. C. de fals. Caus. Brunnemann. ad dict. l. 27. num. 12. ff. de Pact. Barbosa in axiomat. vocab. Pactum. axiom. 6.* Unde Pacta in Contractibus diligenter observanda esse, & non nisi in terminis, in quibus loquuntur, intelligi debere, author est *Purpuratus Gratus, Baldus & alij, apud Cyriac. in controvers. Forens. 556. n. 18. & seqq.* Actus enim agentium non debent operari ultra illorum intentionem. *l. 19. ff. de reb. cred.* & ita non ita pridem scil. sub dato 20. Aug. 1700. ad Instantiam Civitatis Esslingensis in puncto divisionis bonorum Conjugis adulteri, respondit Amplissima Facultas Juridica Tubingensis, & simili modo jam olim in aliâ quâdam causâ Testamentariâ sept. anno 1669. Facultas Altorfensis hisce formalibus. Und obwol diese beede Eheleute bey Ihrer Verheurathung in ihren Pactis Dotalibus oder Nuptialibus in gewissen Fällen das Jus Württembergicum recipiret/ und selbiges in gewissen Fällen zu observiren sich verglichen/ so befündet sich doch ganz nicht/ daß sie in selbigen pactis auch beliebet hätten/ daß sie in ihren künfftigen Testamenten und deren Mutationen, das Jus Württembergicum observiren wolten.

TH. II X.

De revocatione
pact. dot.

Est & hæc quæstio non raro occurrens, An Pacta dotalia successoria ab una parte liberè pro lubitu revocari

cari possint? Quod de Jure Civili affirmandum:
 Nam cum hujusmodi pacta successoria sint quædam
 species ultimarum voluntatum, meritò etiam illarum
 naturam imitantur, quæ est ut ambulatoriæ sint homi-
 num voluntates usque ad extremum vitæ halitum *l. 4.*
ff. de adim. leg. l. 32. §. 3. ff. de don. inter Vir. & Uxor.
Hahn. in not. ad Wesenbec. ad lit. de pact. dotal. num. 4. vers.
 illud quæstionis est: *Carpzov. J. F. part. 2. Constit. 43.*
defin. 10. In Ducatu Württembergico hæc pacta re-
 vocari nequeunt ab una parte in damnum alterius, nisi
 ex justa causa & ad exhæredandum sufficienti, vel
 quoad ea quæ in istis pactis dotalibus extraneis sunt
 relicta. *J. P. W. part. 3. tit. 8. in pr. & §. Und wann in der-*
gleichen. In Jure verò Eßlingensi Statutario nihil cer-
 ti de hoc casu exprimitur; Recurrimus ergò ad Jus
 Civile agnoscendo illam in ipso Jure Civili fundatam
 distinctionem, aut hujusmodi pacta in vim ultimæ vo-
 luntatis, aut vim Contractus esse confecta, & priori mo-
 do ab una parte revocari posse, posteriori autem neuti-
 quam concludimus *l. 7. §. 2. ff. de donat. inter Vir. &*
Uxor. Andr. Gail. lib. 2. obs. 126. Wesenbec. consil. 63. n. 9.
Carpzov. J. F. part. 2. constit. 43. defin. 10. & 11. Anton.
Faber. in Cod. lib. 5. tit. 9. defin. 7. n. 2. At unde dignosci
 poterit, an pacta Dotalia in vim ultimæ voluntatis vel
 contractus confecta fuerint? Existimamus hoc, nisi
 nimis sint obscura, facilè ex verbis imprimis contra-
 hentium aliisque concurrentibus Circumstantiis
 animadverti posse, an sc. verba sint merè successoria,
 an verò obligatoria; quæ mens quæve intentio con-
 trahentium fuerit juxta *l. 2. ff. de V. S. Hartmann. Pistor.*
part. 4. quest. 3. n. 2. & 4. Ernest. Cothm. vol. 1. consil. 8.
num.

num. 2. Carpzov. part. 2. const. 43. definit. Non tamen propterea asserendum est, quod scriptura ad pacta hujusmodi dotalia necessario requiratur, solent enim super his confici Scripturæ non ut formam dent contractui, sed facilioris probationis gratia, in futuram nempe rei memoriam *l. 5. C. de transact. l. 4. ff. de pignori- bus. l. 4. ff. de fide Instrum.* Licet ergo scriptura vel Instrumentum deficiat, aut minus ritè & solenniter illud confectum fuerit, nihilominus tamen pactis dotalibus standum erit, si alio modo scil. per Testium depositionem fuerint probata, quo tamen casu testibus non nisi juratis credendum *l. 21. §. 3. in fin. l. ult. §. sin- unus. C. de Testam. Coler. part. 2. decis. 250. n. 2.* Vocan- tur enim non tantum *Heuraths-Brieffe* / sed etiam *Heuraths-Abreden.*

T H. I X.

De Succes-
sione Con-
jugum.
ex
jure Civili,

Deficientibus Pactis Dotalibus & Testamentis de Jure Civili liberis aut Parentibus vel Cognatis existen- tibus superstes Conjux vel maritus vel Uxor defunctæ uxori vel marito regulariter nõ succedit; *Nov. 118. cap. 1.* In hunc enim modum rescripserunt Imperatores Ar- cadius & Honorius: *Virum à bonis intestata Uxoris super- stitibus consanguineis esse extraneum, cum Prudentium omnium Responso, & ipsa Lex Natura eos successores fa- ciat. l. fin. C. quorum bonorum.* Quod intelligendum regulariter & ordinariè; Introduxit enim Justinianus aliam successionem extraordinariam, qua etiam ex- tantibus liberis succedit Conjux superstes Conjugi Prædefuncto, sed non aliter, quam si præmoriens fue- rit locuples, superstes verò laboret inopiâ; *authent. præterea Cod. Unde Vir & Uxor. Rittershus. ad Nov. p. 7.*

6. 16.

c.16. 17. & 18. per tot. *Lauterbach. ad J.P.W. part.4. tit.5. thes. 6.* ubi ab hac Juris Civilis Dispositione ubique ferè discessum esse meminit; Ideoque & nostrum Jus Statutarium Eßlingense statim in §. Falls aber Eheg^{ex jure}mächt. in casu non Existentium Liberorum, toto coe^{Eßlingen}lo à supra allegato jure Civili facit differentiam, expressis verbis sanciens: So erbet das überlebend Eheg^{fi.}mächt (nullis scilicet Existentibus liberis & deficientibus pactis dotalibus seu testamentis) des Abgestorbenen Eigend und Während Haab und Gut/nichts überall davon außgenommen einig und allein/ und schlüßet alle des verstorbenen Verwandte/ sie seyen in auffsteigender oder in der Collateral linea, auß: Nec hic paupertatis nec divitiarum alterius habetur ratio, sed maximè favet successioni Conjugum. Quam Eßlingensem observantiam Ulmensi & Reutlingensi conformem jam olim allegavit *Beat. Dominus D. Lauterbach ad J.P.W. part.4. tit.6.* Cum qua etiam concordant statuta Hallensia Suevica. Hancque ipsam olim observantiam ante publicationem Novissimi Juris Provincialis Württembergici in multis locis illius Ducatus obtinuisse se percepisse testatur *Diēt. Dom. D. Lauterbach. in disp. ad diēt. part.4. tit. 6. th. 6. Et in Disputat. de success. Conjug. Beat. D. D. Bardili.* illud Eßlingæ in Vulgus notum allegat proverbium: Wer den Kopff hat der schirt den Barth. *thes. 43. in fin.* Et hujusmodi Statuta valere sæpe in Camera conclusum esse testatur *Gail. lib. 2. obs. 124.* quis enim inficias ire potest, hujusmodi statuta propter individuum non tam corporum quam animorum Conjunctionem atque Societatem propter tot matrimonii onera, quæ Conjuges moderatè sustinere susque deque

an salvâ
parentum
legitima?

deque ferre debent, justissima adeoque omni favore dignissima esse *l. 4. C. de Crim. expil. hered. & in l. 1. ff. rer. amot. Nic. Everhar. cons. 53.* Ex asse ergò sibi invicem succedunt Conjuges Efslingenses, Exclusis omnibus ascendentibus & Collateralibus Cognatis; Cum hâc tamen moderatione intelligenda, ut non extendantur ad Parentum Legitimam; Quod præjudiciis confirmat *Bened. Carpzov. J. F. part. 3. constit. 12. defin. 3. per tot.* Statutum namque Generale deferens Superstiti Conjugi hæreditatem ex asse legitimam Parentibus debitam non excludit, quia speciali jure Legitima venit, ac debetur, nec successionis jure regulatur, adeò ut exclusâ successione, Legitima haud exclusâ videatur, cum alia via & ratione debeatur; Quod etiam ad ipsam Parentum Legitimam extendendum, ita ut in nostris statutis casus de Legitima Parentum omisus sub dispositione Juris communis relictus sit; *Diçt. Carpzov. alleg. Const. 12. defin. 3.* Præsertim cum Leges Legitimam, quæ Parentibus ex bonis Liberos debetur, illi æquiparent, quæ liberis de bonis Parentum debetur. *l. 15. ff. de inoff. Testam. Diçt. Carpzov. part. 3. Constit. 11. defin. 8. num. 7.* Sicque id quod in Liberos Legitima constitutum est, ad Parentum quoque portionem est producendum. *Nov. 18. Cap. 1. Brunnem. ad diçt. l. 15. ff. de inoffic. Testam. Carpzov. Part. 3. Const. 1. defin. 21. n. 9. Mey. Part. 7. Decis. 19. num. 16.* Ex quibus omnibus Doctorumque communi sententia Legitimam statuto nullo modo tolli posse, neque per nostrum statutum exclusam videri concludimus. *Mey. part. IV. Decis. 14. n. 7. Carpzov. diçt. part. 3. const. 12. def. 1. addatur Regn. Sixtin. inter Marpurgens. vol. 1. Consil. 14. n. 25.*

n. 25. Ubi statuta, quæ Parentes à successione excludunt, contra Jus Pietatis vigere dicit; Legitima enim Parentibus debita æquè est juris naturalis, adeoque in se immutabilis; *Covarruv. de Sponsal. part. 2. const. 8. §. 6. n. 5. Vivius decis. 187. num. 11. Peregrin. de fideic. artic. 49. n. 49. Græva. lib. 2. concl. 119. & 122. Besold. consil. 197. num. 2. & seqq.* Et ita in terminis terminantibus ad Instantiam Ipsius Senatus Eßlingensis respondit Amplissima Facultas Juridica Altorffensis die 20. Julii 1679. sed quomodo in hoc casu, si scilicet Eßlingæ mortuo alterutro Conjuge defuncti Parentes unâ cum Superstite Conjuge existant, Legitima sit computanda, non levi difficultate laborare videtur. Nam cum Legitima Parentum juxta communem Doctorum opinionem sit triens scil. tertia pars portionis ab intestato debitæ *l. 8. §. 8. ff. l. 8. Cod. de Inoff. Test. Nov. 18. Alex. consil. 146. n. 9. lib. 1. & lib. 7. consil. 168. n. 15. Paul. Surd. cons. 388. n. 17. Berlich. part. 3. concl. 12. n. 43. Besold. cons. 116. n. 27.* In Jure autem nostro Eßlingensi Statutario existenti Superstite Conjuge Parentibus nulla portio sit definita, quomodo poterit determinari, quæ sit tertia pars portionis ab intestato debitæ, nisi removeri velit illud tritum; non entis nullas esse qualitates *l. 41. vers. quod si stipulatus. ff. si cert. pet. l. 4. §. 1. ff. de Action. Empt. Gail. lib. 2. obs. 14. n. 12.* Et ita ratiocinatur *Michael ab Aguirre. in part. 2. suæ Apologiae sive Besold. in consil. 1. num. 180. & 181.* expressè asserens, frequentissimè & communiori interpretum calculo receptum esse, eum qui ab hæreditate ab intestato excluditur repelli etiam à Legitima, idque docuisse *Bartol. Paulum aliosque plurimos ibi allegatos Pd.* Hancque opinionem

C nem

nem ubique communem esse attestatur *Cassan. Consil. 96. n. 2. & Paris. Consil. 93. num. 12. & consil. 94. num. 23. lib. 3.* Sed cum juxta supra deducta Legitima Parentibus debita Statuto tolli non possit, nullam aliam portionem Parentibus debitam de Jure Efslingensi quam ipsam Legitimam determinare possumus, quæ in nostro casu expresso nullis scilicet existentibus liberis de jure Civili esset tertia pars totius à præmortuo Conjuge relictae Substantiæ, talique modo Superstes Parens unam, Conjux autem duas tertias hæreditatis accipiet; Quæ tamen secundum Jus Civile instituta divisio nostris Statutis maximo favore in partes Superstitis Conjugis inclinantibus repugnare videtur; ita ut non dubitandum, si horum statutorum Conditores tantam Portionem Parentibus pro Legitima relinquendam existimassent, illud quoque in ipsis Statutis expressè declarassent; *l. unic. §. Sin autem. Cod. de Cad. toll. Ernest. Cothmann. Vol. 2. Juris Resp. 74. num. 100. 101. & 102.* Illisque non ita simpliciter hæcce formalia inseruissent, wann ein Ehgemächte vor dem andern ohne Ehliche Leibs Erben verstürbet/ so erbet das überlebend Ehgemächte des Abgestorbenen ligend und wahrend Haab und Gut nichts außgenommen einig und allein/ und schlüßet alle des Verstorbenen Verwandten / sie seyen in auffsteigender oder Collateral-Lini/ auß. Nam cum major sit favor Conjugum in successione de jure Efslingensi, quàm de Jure Provinciali Württembergico in casu scilicet non existentium liberorum; Eo ipso concludendum videtur, Legitimam Parentum Efslingensium, qui ab intestato non tantum quantum de J. W. accipiunt, non pinguiorem Württembergicâ judicari deberi; Consequen-

sequenter tertiam partem omnium bonorum, quæ Filius vel Filia reliquit, non ita simpliciter pro Legitima Parentum Eslingensium habendam, sed Legitimam minorem Legitimâ Württembergicâ Eslingæ statuendam, hocque in ipsa proportionis æquitate fundatum esse. Quæ determinatio à Magistratu Eslingensi vi competentis juris Statuta interpretandi eo facilius fieri posset, ut in jure pro expedito habetur, Legitimam quidem per Statutum minui non autem tolli posse. *Gail. lib. 2. obs. 22. Mynsing. cent. 5. obs. 43. Carpzov. part. 3. const. 15. def. 1. & 5.* Cæterum Jus nostrum Statutarium à Jure Provinciali Württembergico quoad successionem Conjugum maximè in hoc differt, quod in casu non existentium Liberorum Jus Württembergicum talem divisionem instituat, ut Superstes Conjux 1. Præcipuo suo gaudeat. 2. Omnia sua alata recipiat. 3. Dimidiæ partis ac quæstus Conjugalis des Errungenen und Gewonnenens plenus hæres fiat; Deinde 4. in omnibus bonis Defuncti, quæ plenè & perfectè possedit, sine exceptione & distinctione undecunque obvenerint, etiam ab alterâ dimidia parte liberè & absolutè iterum dimidiam partem accipiat. videatur *Jus Prov. Württemb. part. 4. tit. 5. §. Und dann. & §. Ferners an.*

T H. IX.

Non incongruè & hæc examinanda venit quæstio, An, quatenus & in quantum Conjuges de Jure Statutario Eslingensi se invicem hæreditate privare possint. Cum enim Jure Civili Conjugibus nulla debeatur Legitima. *arg. l. 1. ff. de inoffic. Test.* Et Jure Eslingensi quoq; nulla sit determinata, Conjugi Conjugem ab hæreditate

De exheredatione Conjugum.

tate excludere licere forsan quis opinari posset ; quod tamen propter maximum favorem in Successionibus Conjugum Efslingensium nullo modo asserere aude-
 mus. Nam tali modo frustra nostra Statuta conju-
 gem nullis existentibus liberis pro Hærede universali,
 in casu autem existentium liberorum pro hærede par-
 tiali declararent, si Conjugi alteri hæreditatem aut
 portionem Statutariam adimendi potestatem & facul-
 tatem relinquunt. Imò prorsus essent elusoria & de-
 risoria. *Ludovic. Rom. in auth. præterea. num. 10. Cod. Unde Vir & Uxor. Et Joh. Maria. Riminald. in modo alle-
 gat. authent. præterea. num. 3.* Hocque ideò cum nemo
 in Testamento suo cavere queat, ne leges vel boni mo-
 res vel Edictum prætoris in suo Testamento locum
 habeant: *l. nemo potest. & l. 112. §. pen. ff. de legat. 1.*
 Statuta autem consensu Civium condita nihil aliud es-
 se quam Jus Civile, manifestum est, ita ut in Civitate,
 ubi vigent, Jus faciant commune, & pro jure communi
 habenda sint. *l. 32. ff. de LL. l. 2. C. que sit longa con-
 suetudo.* Et hoc est, quod Imperator Justinianus re-
 scripsit: Quod ex Lege datum est lucrum, privatus
 auferre modis omnibus non valebit, licet decies mil-
 lies contrarium aliquid velint morientes: *Nov. 22. cap. 33.* Ut taceamus talem interpretationem, qua
 Conjugi Superstiti portio vel hæreditas Statutaria adi-
 mitur pœnam ingerere, quæ semper vitanda & omni-
 bus modis fugienda *l. 19. ff. de lib. & posthum. l. si
 quis. major. Cod. transact.* Quæ tamen non ita exten-
 sive sunt intelligenda, ac si Conjux ratione bono-
 rum ex Statuto Superstiti Conjugi relinquendorum
 nullo modo testari posset, utpote quibus via libere
 testan-

testandi neutiquam præcludi debet. Unde cum *Wesenbecio in parat. ad tit. II. lib. 38.* distinguimus, aut enim ex statuto certa pars aut portio Conjugi Superstiti aut tota hæreditas debetur; Priori modo talis pars seu portio Statutaria Superstiti Conjugi per Testamentum auferri nequit, cum sit velut Legitima pars debita *Boer. decis. 244.* Posteriori autem modo si tota hæreditas ab intestato Superstiti Conjugi debeatur, illa hæreditas per Testamentum minui, non autem in totum auferri potest. juxta dict. *Wesenbec. allegat. loco*; In quantum autem *Efslingæ*, ubi supra dicto modo Conjuges nullis existentibus liberis vi Statuti ex asse invicem sibi succedunt, hujusmodi hæreditas minui possit, & an Superstes Conjux quarta parte juxta *auth. præterea. C. Unde Vir & Uxor.* contentus esse debeat, non minimum movet scrupulum; Nam si sine lege vel statuto loqui sit erubescendum *Nov. 18. cap. 3.* Et quod Statutum non cantat, nec nos cantare debemus; sed omisum pro omisso habetur *l. 22. in pr. ff. solut. matrim. l. inter socerum. l. 30. ff. de pact. dotalibus. Cravetta cons. 809. n. 21. Ernest. Cothman. vol. 2. consil. 74. per tot.* non immerito & hic hæremus; Et licet supra deductum in casibus statuto non expressis ad Jus Civile esse recurrendum, hic recursus tamen exinde sisti videtur, quod successio Conjugum de jure Civili saltem in certos casus concessa, cum Nostra successione statutaria præ illa maximè favorabili nullo modo conveniat; Non ergo ex Jure Civili hic desumenda est Interpretatio, si enim statutum sic Juris comunis Correctorium; non recipit subauditum intellectum à jure communi. *Cephal. consil. 137. num. 27. Roland. consil. 62. n. 47. vol. 3.*

sed strictè est interpretandum. *Dict. Cephal. cons. 59. num. 26.* Determinanda ergo ab ipso Magistratu Eslingenſi erit, quæ & quanta Legitima seu portio debita Conjugibus Eslingenſibus alias ab intestato ex aſſe ſuccedentibus ſit relinquenda; Conditor enim Statuti optimè illud interpretari, quantumque dubium, determinare poteſt. *l. final. Cod. de LL. Menoch. conſil. 3. num. 22. & conſil. 684. n. 23.* Jure Württembergico Legitima Conjugum eſt tertia pars portionis ab intestato Conjugi Superſtiti debita. *part. 3. tit. 16. §. Wann ein.* Cum ergo juxta ſupra deducta major ſit favor in ſucceſſionibus Conjugum de Jure Eslingenſi, quidni pro qualitate circumſtantiarum & Major Legitima determinari poſſet? Quod Prudenti dijudicationi Magiſtratus merito relinquitur; Interim tamen Conjugibus Eslingenſibus non interdictum eſt, ex ſufficientibus adeoque Legalibus cauſis ſeſe mutuo exhæredationis ſtylo notare, quales præcipuæ ſunt, malitioſa deſertio, verbera perdura, injuriæ atque calumniæ enormes, inſignes quæ ſunt contra bonos mores, honeſtatem & verecundiam; Diximus autem verbera perdura Marito. Namque modica caſtigatio in Uxorem nimis rixofam, loquacem, garrulam, effrenem, licita eſt. *Nov. 117. cap. 14.* Plures hujusmodi exhæredationis cauſas qui ſcire deſiderant, evolvant *Pruckmann. vol. 2. conſil. 25. num. 28. Gail. lib. 2. Obſerv. 83. in fin. Forſter. de Succesſ. ab intest. lib. 9. cap. 3. num. 23. Weſenbec. part. 1. conſ. 29. num. 49. Everhard. Junior. conſil. 3. n. 54. vol. 1.* ubi per totum de conſimilibus cauſis latè agit.

T H. XI.

Conjux ut
ſuccedens
ſolvit æs
alienum.

Conjugi Eslingenſi Superſtiti nullis exiſtentibus
Liberis ex aſſe ſuccedenti eo ipſo ex natura univerſalis
falis

falis hæredis incumbit etiam universalis æris alieni solutio: per verba: doch also das überlebend Ehegemächts Schulden zu bezahlen schuldig: Et in hoc concordat cum Jure Civili communi, vi cujus Hæres habetur cum defuncto pro eadem persona. *Nov. 48. in præfat. l. 45. ff. de acquir. vel omittend. hered. l. 193. ff. de R. J.* Et succedit in omnia jura in hæreditate reperta quæ Defunctus habuit. *l. 37. ff. de acquir. vel omitt. hered.* utpote quæ ejus morte non sunt extincta. *l. 196. ff. de R. J.* Obligatur ergo omnibus Creditoribus hæreditariis ex omnibus causis ex quibus obligatus fuit Defunctus. *l. 8. ff. de acquir. vel omittend. hered. l. 10. C. de jure delib.* Quod quotidiani expediti juris est. Majori autem laborat resolvendi difficultate, quatenus & in quantum Conjux Eßlingensis pro altero Conjuge, non ut hæres, sed ut socius Conjugalis ratione æris alieni tempore conjugii contracto, teneatur; Quam litem nostram facere non intendimus, sed potius abstrahendo à Jure Civili communi, quo Conjugum alter pro altero non tenetur. *l. 4. Cod. ne Uxor pro Marit. l. 1. Cod. ad L. Jul. de vi publ. Besold. part. 3. consil. 92. n. 23. & seqq.* Responsio Amplissimæ Facultatis Juridicæ Tubingensis ad instantiam Ipsius Imperialis Eßlingæ in anno 1697. die Junij dato ex amore Justitiæ lubenter subscribimus, quod scil. & hîc Eßlingæ inter Conjuges sit societas quædam bonorum Conjugalium, tum propter generalem Germaniæ consuetudinem, tum quod finitimæ provinciæ præcipuè Ducatus Württembergicus hujusmodi societatem etiam agnoscat, à quibus Vicinam Civitatem Imperialem Eßlingam nihil dissimile voluisse haud obscure conjecturare licebit. Cum ex

vicino-

An & ut
socius bonorum.

vicinorum locorum Statutis, Statuta & mores alterius loci non incommodè explicentur sæpè, & de loco ad locum non rarò porrigantur; videatur *B. Dn. D. Lauterbach. in Disput. de Societ. bonorum Conjugal. §. 21. circa finem*; Et ubi consuetudo specialis, veluti hic, non apparet, recurritur ad vicinam. *Besold. part. 3. consil. 91. n. 72.* Hinc & dici solet: daß in allen Landen die ältiste Stadt des Reichs ein Haupt seyn solle des Rechts &c. *Weichbild art. 12. in pr.* Quæ tamen consuetudo Societatis Conjugalis non ita abusivè est interpretanda, quasi Conjux pro altero Conjuge semper indifferenter & in solidum ratione æris alieni durante Societate contracti efficaciter conveniri possit, sed intelligenda 1. de ære alieno sociali. 2. Societatis gratia contracto. *arg. l. 12. ff. pro Soc.* Societatis autem gratia æs alienum contractum dicitur, quando factum est ob causam ad hanc societatem pertinentem, nimirum vel ob hujus Societatis utilitatem, vel ob onus quod eidem incumbit præstandum sive avertendum; *B. Dominus D. Lauterbach. in Disp. de ære alieno in societ. Conjug. contract. solvend. cap. 3. §. 18.* quod *Jus Prov. Württembergicum* ita exprimit: *Gemeiner Haushaltung zu Nothdurfft/ Nutzen und Guten. part. 4. tit. 4. §.* Da nun. Econtra Non-Sociale æs alienum est, quod principaliter non in societatis utilitatem, nec ob aliquod societatis onus est contractum; *Gutierrez lib. 2. quest. pract. 128. num. 4. vers. non obstat.* primum: nam si e. g. maritus planè insolitam, periculosam atque Professioni suæ non convenientem atque omnium saniorum Judicio damnosam susciperet negociationem contra Uxoris & Amicorum

corum

corum consilium & dehortationem, eoque æs alienum contraheret, licet hoc etiam in communem Societatis utilitatem sese facere prætenderet, debitum tamen illud non ex communi solvendum, nec uxorem exinde obligatam esse, cum maritus hic limites & terminos excessisse videatur, tradit *alleg. Dn. D. Lauterbach. in dict. Disput. de ære alieno Soc. Conjug. contract. solvend. cap. 5. §. 70. arg. l. 5. §. II. & l. II. §. 5. de Instit. action.* Posito autem debito Sociali vero, unus Conjugux tamen pro altero non in solidum statim condemnandus; Expedi enim juris est, quod si alteruter non sit solvendo, pars altera v. g. Uxor possidens sufficientia bona totum æs alienum licet ab utroque Conjuge contractum, tamen non in solidum ex propriis bonis solvere, obligetur; siquidem talia debita socialia ante omnia ex acquæstu Conjugali, & illo deficiente ex aliis utriusque Conjugis propriis bonis NB. æqualiter & pro dimidia saltem parte utriusque solvenda sunt, ad exemplum duorum vel plurium Sociorum comuni consensu contrahentium cum extraneo, quorum singuli quidem eidem obligantur, verum regulariter non in solidum, sed tantum pro rata & portione *l. 4. pr. ff. de exerc. act.* Quæ sententia de Sociis Conjugibus etiam in *Jure Prov. Württembergico* fundata est *part. 4. tit. 4. §. Namblichen.* Ita, ut si Uxor sese in causa societatis in solidum cum marito obligasset, citra tamen rei familiaris necessitatem, quoad dimidiam partem à marito solvendam, rectè sese defenderet beneficio novæ constitutionis sc. *authentica si qua mulier Cod. ad SCtum Vellejan.* simpliciter ergo & indistincte foeminam ul-

D

tra

tra virilem portionem non teneri, imò non ultra id quod accepit, tradit *Mev. part. 6. dec. 297. n. 3.* Et ita inclyta Facultas Tubingensis ante paucos annos uti dicunt in terminis terminantibus supra allegato loco respondit.

TH. XII.

Successio
Conjugū
ab intesta-
to cum
Liberis.

Hactenus partim de Successione Conjugum ex pactis dotalibus in vim ultimæ voluntatis erectis, partim nullis liberis existentibus ab intestato sibi invicem succedentium dictum, nunc & quid juris Statutarii Eßlingensis Conjugibus relictis liberis ab intestato morientibus dispiciendum erit, quem casum nostra Statuta eò definiunt: *Auff solchen Fall soll es bey denen vhralten Verfangenschafft-Rechten gelassen/ deßhalb aber nachfolgender Gestalt erläutere seyn/ und darnach erkannt werden. S. Falls aber zc. Eßlingisches Erb- und Verfangenschafft-Recht.* Est ergo Jus nostrum Statutarium Eßlingense Successorium Jus antiquissimum & vetustissimum, ita enim habent verba Statuten-Buchs *de anno 1555.* Item der Verfangenschafft halben/ wo ein Ehgemächte von dem andern mit Tod abgehiet/ soll es nachmals gehalten werden/ wie von alters her gebräuchlich und wolherkommens ist; sub vocabulo Verfangenschafft-Recht/ in generali significatione etiam sæpe veniunt; Theil-Recht/ Erb-Recht. Quæ tamen in nostris Statutis specificè distinguuntur per verba clarissima: *Solle in solchem Fall nicht nach dem Verfangenschafft-Rechte/ sondern nach dem Theil-Recht der Erbfall berechnet werden; S. Solle sich aber zc.* Describitur autem Verfangenschafft-Recht inter alios à *Paulo Matthia Webzero,* quod sit jus, competens liberis, quando Mater transi

transit ad secunda vota, vi cujus omnia sua bona immobilia & à Marito relicta sunt affecta liberis prioris matrimonii, ipsa autem secundo Marito bona mobilia & usumfructum in immobilibus affert; *Pract. observ. vocab. Versangenschafft/ Versangenschafft, Rechte.* & de tali Jure recepto videatur *Casspar. Wilhelm. Scipio in Rota Spirens. lib. 2. decis. 103. Zas. in paratitl. Dig. Usufr. quemadmodum cav. n. 6. & in l. ex facto num. 19. de Vulgar. & pupillar. subst. & in tit. de Religios. & sumpt. funer. n. 10. Modest. Pistoris. cons. 11. q. 2. n. 11. Adam Keller de offic. Jurid. lib. 2. cap. 10. fol. 356. & cap. 22. fol. 551. Sichard. cons. 8. inter consilia contractuum num. 17. fol. 208.* Qui allegato loco cum *Wehnero* hoc jus saltem ad illum casum restringere videtur, quando scilicet ex defuncto Marito liberi præstò sunt & Mulier transit ad secunda vota; Nostra autem Statuta Eßlingensia nulla facta distinctione inter demortuum Patrem vel Matrem indifferenter loquuntur *von dem verstorbenen oder überlebenden Ehegemächt/* in quem casum bona immobilia semper manent affecta Liberis ex priori matrimonio existentibus, mobilia autem relinquuntur cum præcipuo Superstiti Conjugi; Unde *Besold. in Thesaur. suo Practico* scribit, *versangene Gütere* vocamus da die immobilia denen Kindern erster Ehe versangen seynd/ und die Eltere davon mehr nicht dann allein den Usumfructum oder die Abnutzung haben; Et hoc Jus de bonis affectis Liberis primi matrimonii seu restitutioni obnoxiiis das *Versangenschafft, Rechte/* passim in Suevia usurpari, ut *Rotvilæ, Überlingæ, Zellæ Rutolphi, Engen.* allegato loc. testatur dicit *Wehner.* Et hujus etiam fit mentio in *Statutis Ulmensibus pact. 1. tit. 10. §. 2.* Hocque

D 2 Jus

Jus olim ubique locorum ferè in Suevia obtinuisse meminit dict. *Besold. vocab. Verfangenschafft. in thes. pract.* Unde etiam *Samson Hertzog* quondam nostræ Imperialis Eßlingensis Advocatus ordinarius in suo *Notariatu seu formulari part. 2. de Testam. fol. 114. Nro 3.* certam describit formulam *Eines zierlichen Testaments* juxta morem Civitatis, da das Verfangenschafft Recht noch plak hat. Est ergo Verfangenschafft Rechte de Jure nostro Statutario Eßlingensi Jus tam Superstiti Conjugi quam Liberis in casum præmortui Conjugis vel Parentis quoad successionem circa bona affecta competens; Ita ut in talem casum æque certa bona scilicet mobilia Superstiti Conjugi quam immobilia relictis liberis affecta sint.

T H. XIII.

Conjugū
præcipuū.

Antequam autem ratione hujusmodi affectorum bonorum certa divisio instituat, nostra Statuta Superstiti Conjugi ante omnia certum Præcipuum definiunt, quod sicuti de Jure Civili incognitum, ita in nostris Statutis specificè describitur, in §. *vorderist solle ic.* Et licet quoad appropriandum Præcipuum Superstiti Conjugi Jus Nostrum Eßlingense Statutarium cum Jure Provinciali Württembergico in genere conveniat, specificè tamen non parum differunt, ita ut Præcipuum Württembergicum Conjugibus debitum plus contineat Præcipuo Eßlingensi Statutario, illoque multum pinguius sit, quod vel solum maximè ex hoc apparet, quando ad Præcipuum Conjugum Württembergicorum & illa portio pertinet, quam Superstes Conjux aut à sua linea aut aliundè hæreditate vel Legato

gato

gato acquisivit, was eines von seiner Linten her ererbt/
oder sonstem Thme vermacht/ verschafft und zugefallen/
J.P.W. part. 4. tit. 4. Qualia bona de Jure Eßlingensi
Statutario tanquam in specificato Præcipuo omissa eo
ipso bonis affectis annumerare haud dubitamus; Tum
quod omissum pro omisso habeatur; *l. 10. ff. de lib. &
posthum. Borcholt. part. 1. cons. 4. quest. 1.* quod maximè
obtinet in statuto vel consuetudine *l. 1. Cod. de Summa
Trin.* Tum quod nostro Jure Statutario existentibus
Liberis in casum prædefuncti Conjugis omnia bona
sive sint immobilia sive mobilia partim Liberis partim
Superstiti Conjugi affecta sint; Consistit autem Præ-
cipuum Eßlingense in subsequens speciebus: daß
nemlich das überlebend Ehegemächte vorderist zu frehem
Voraus hindan nehmen solle/ alle seine vorhandene Kleis-
der/ Gesseuch/ Geband/ Kleinodien/ und was zu seinem
Leib gehörig/ darzu das Ehebeth/ darin beide Ehegemächte
geschlaffen/ mit zugehörigen Federn und Leinwad/ wie zus-
mal der Mann sein Geschos/ und was zur Wehr gehörig.
dict. §. Vorderist solle &c. Ita ut per verba, das überles-
bend Ehegemächte tam relicto viduo quam viduæ suum
cuique debeat Præcipuum; per verba autem Kleis-
der und was zu seinem Leib gehörig intelliguntur omnia
in mundum & corporis vestitum ac ornatum perti-
nentia, quod incubandi, injiciendi, tegendi & inster-
nendi causa habetur, quæ scil. vestimentorum nomi-
ne veniunt *l. 68. ff. de leg. 3. Matth. Wesenbec. cons. 7.
n. 18. Et Wesenbec. ad paratitl. tit. de auro argent. legat.
n. 5.* Nec est credendum quicquam sive sit vile sive
pretiosum exclusum esse; Universalis enim Oratio
singula sub hac contenta includit. *dict. l. 68. in princ.*

de leg. 3. cap. 6. in fin. de major. & obed. Wesenbec. cons. 123. num. 31. Dec. cons. 69. Hujusmodi Præcipuum vocant Statuta Argentoratensia Für die Liebhat. Stadt-Buch fol. 68. & fol. 89. Quasi præstitæ fidei constantisque amoris præmium, vel ut extet gratæ memoriæ monumentum. Sed quid si una vel altera supra allegati Præcipui species Superstiti Conjugi à prædefuncto constanti matrimonio donata fuerit, an jure Præcipui quoque præstanda veniet? Cum notissimi multisque rationibus fundati juris sit, quod donationes inter Conjuges durante matrimonio celebratæ, regulariter sint prohibitæ tot. tit. ff. & Cod. de donat. inter Vir. & Uxor. tum ne donationibus intemperantes profusâ erga se facilitate mutuo se amore spolient l. 1. ff. de donat. inter Vir. & Uxor. tum ut famæ ac honori eorum consulatur, ne pretio magis, quam officiis amor inter eos conciliatus videatur l. 3. in princ. ff. dict. tit. tum ne discuti matrimonia ac dissolvi contingat, si non donaret is qui posset l. 2. ff. dict. tit. Attamen nihilominus deberi concludimus, si scil. hujusmodi donatio facta non revocata fuerit, sed donans Conjux usque ad mortem in voluntate perseveraverit, tunc enim morte illa confirmatur, l. 32. §. 2. l. 1. l. 10. l. 24. l. 25. Cod. de donat. inter Vir. & Uxor. Heig. part. 2. quest. 17. n. 6. Modo talis donatio legaliter probari possit, & non peccet contra sanctissimam Legem Hac Edictali Cod. de secund. Nupt. de quo sibi quisque prospiciat; Porrò occasione Verborum, das Ehebeth darinnen beede Ehegez macht geschlaffen mit zugehörigen Federn und Leinwad! quæri posset, num etiam nostro Jure sub hisce vocabulis Præcipui loco peti possit, Ipsa sponda cum velis,
die

die Wethladen sambt denen Umhängen/ quod ex natura Accessorii semper sequentis principale statuere haud dubitamus, juxta dictum Sabini, quod illud tanquam accessorium spectandum quod alicujus rei ornandæ causa adhibetur, in l. 19. §. 13. ff. de aur. argent. & c. legat. Et hoc ita sub nomine Præcipui expressum reperitur in Statutis Ulmensibus: per verba die Weth und Wethstatt mit ihrer Zugehörd/ darinnen die beide Ehgemächte gewöhnlich gelegen wären; Videatur Jus Statutar. Ulmense part. I. tit. 5. §. 1. Quæ Statuta Ulmensia quoad explicationem nostrorum Statutorum non immeritò ideò in majorem considerationem veniunt, cum nostra Statuta Eslingensia quoad maximam partem non dissimilis tenoris quasi ex illis extracta videantur; Unde in nostrorum Statutorum vetustissimis exemplaribus diversis locis in margine verba: *Ulmisch Ordnung* notata & adscripta legimus.

T H. XIV.

Separato Præcipuo supra determinato & Conjugi superstiti attributo juxta tenorem Juris Nostri Statutarii omnia immobilia existentibus Liberis non saltem quoad proprietatem sunt affecta, sed eo ipso pro delata hæreditate paterna & materna habenda, non attenda distinctione, an ex præmortui vel Superstitis Parentis bonis proveniant, quod non saltem verba conjunctim repetitis vicibus posita **für Vätterlich und Mütterlich Erbgut**/ §. Nach diesem sollen; sed maxime subsequencia manifeste declarant, Es rühre und komme von dem verstorbenen oder noch lebenden Ehgemächt her, §. Wann nun oberzehletes; Quæ dispositio

Omnia immobilia sine distinctione Liberis sunt affecta.

tio Statutaria licet prima facie non unam sapere videatur absurditatem; Nam 1. Tali modo bona immobilia etiam Superstitis & viventis Parentis, quoad proprietatem jure hæreditario liberis accrescunt, cum tamen per rerum naturam ita comparatum sit, ut viventis nulla sit hæreditas. *l. fin. C. de pact.* 2. Per hoc Statutum sublatum videtur illud naturale principium, secundum quod quilibet suarum rerum sit moderator & arbiter, ita ut Conjux Superstes rem suam in quemcunque voluerit amplius transferre non posset; Quæ jura naturalia in se sunt immutabilia, ita ut nec statuto tolli possint §. 41. *Inst. de R. D. l. 21. Cod. Mandati. l. 8. Cod. de Jud. §. 11. Inst. de J. N. G. & C.* Imò 3. adempta esset libera testandi facultas super rebus propriis immobilibus, quod omni Jure prohibitum. *l. 15. & ult. Cod. de pact. l. 1. Cod. de SS. Eccles. l. 43. in pr. ff. de Vulg. Substit.* Unde Bartolus hoc ne quidem singulari Principis privilegio fieri posse scribit, in *l. 61. ff. de V. O.* Ita ut ferè ad illud Juliani in *l. 20. ff. de LL:* Non omnium quæ à Majoribus constituta sunt rationem reddi posse recurrendum videatur. Attamen hoc nostrum Statutum uti supra deductum in antiquitate fundatum non in totum suis est destitutum rationibus, de quibus videndus *Paulus Matthias Wehnerus in Pract. Observ. vocabulo Drittheit/* ubi inter alia disserit: Contractum Nuptialem, statim commixtionem & confusionem quandam bonorum efficere, ita ut postmodum non fiat, ut vivo succedatur, sed vivi quasi divisionem in eant bonorum; Nec tollitur libera administratio rerum suarum, cum præmortuo altero Conjuge immobilia non amplius sub rebus & bonis, superstitis veniant,

niant,

niant, neque ideò defraudatur superstes Conjux, sed immobilia si non in totum tamen in tantum compensantur mobilibus, ita ut nihilominus etiam usufructus ex immobilibus ad dies vitæ penes superstitem Conjugem remaneat; Hicque est optimus conservandæ hæreditatis modus, qui in jure licitus est, ne nimirum liberi per parentes, qui non rarò novis amoribus novos affectus induunt, potiori vel maxima parte hæreditatis defraudentur, sed ipsorum Patrimonium promoveatur & conservetur; Huncque succedendi modum jam olim in antiquissima Lege Salica fundatum fuisse testatur *Petr. Heig. part. 1. quest. 8. n. 66.* Et huic modo non dissimilis successio in casum præmortuæ uxoris in Saxonia observatur, ubi Superstes maritus indifferenter omnia mobilia defunctæ Uxoris, sive inops sive dives fuerit, lucratur, unde & hæres mobiliaris vocatur. *Christoph. Zobel. part. 3. differ. 9. n. 6. Petr. Heig. part. 2. quest. 15. n. 2. Matth. Coler. de proc. exec. p. 1. c. 3. n. 254. & part. 2. decis. 286.* Usque adeò ut quantumvis Uxor nihil reliquerit in mobilibus, sed sola immobilia, tamen maritus de hisce nihil percipiat, *Matth. Wesenbec. in addit. ad Schneidevv. ad tit. inst. de hered. quæ ab intest. defer. Rubric. de Success. int. Vir. & Uxor, Daniel Moller. ad const. Elector. 21. n. 14. p. 3.* Cujus constitutionis specialem ex antiquitate desumptam reddit rationem *Carpzov.* quod scilicet ex antiquis Saxonum legibus mulieres bona immobilia haud possederint, nec in iisdem successerint. Ergò etiam in alios transferre non potuerint, *J. F. part. 3. Const. 23. defin. 11. & defin. 22. per tot.*

E

TH. XV.

T H. XV.

Specificatio
immobili-
bilium.

Quæ autem sub nomine immobilium veniant, illa in nostris *Statutis* longâ serie specificè à numero 1. usq; numerum 5. inclusivè describuntur. Quibus in specie sub Nro 3. die *Erwige Wein / Korn / Frucht / Geld und Eysen / Gültten* annumerantur. Nam licet in genere annui redditus sicuti nomina actiones & jura propriè nec mobilibus nec immobilibus accenseantur bonis, sed tertiam & peculiarem bonorum speciem constituent. *Panormit. in cap. nulli. 5. num. 10. vers. sed tu distingue. X. de reb. Eccles. non alienand. Joh. Kopp. decis. 24. n. 7. Jacob. Schult. in addit. ad Modest. Pistor. part. 3. quest. 124. Nro 47.* Tamen uti etiam in nostro Statuto non rarò inter immobilia referuntur; Quod & in foro Saxonix observari testantur *Joh. Schneidew. ad tit. Inst. de hered. qua ab intest. defer. Rubr. de Success. inter Vir. & Uxor. Jacob. Beust. in tract. connub. p. 2. n. 248. & part. 1. decis. 59. n. 14. & seqq.* Quæ observantia nec suis caret rationibus, tum quod hujusmodi redditus plerumque ex bonis immobilibus solvantur, tum quod perpetui sint, aut longo tempore duraturi; Nam res immobiles à mobilibus maximè diuturnitate temporis distinguuntur *l. 22. Cod. de administr. & peric. Tutor. Benedict. Carpzov. J. F. part. 3. const. 24. definit. 1. per tot.* Sed hoc intellectum volumus de illis tantum annuis redditibus, quorum dies nondum cessit, nam quando dies solutionis cessit, tum hujusmodi redditus quia exigibiles sunt, pro separatis à solo habentur, atque ita numero mobilium accenseantur. *Andr. Gail. lib. 2. observ. 10. n. 3. Matth. Coler. de process. exec. part. 1. cap. 3. n. 246. Jacob. Schult.*

in

in addit. ad Modest. Pistor. part. 3. quest. 124. num. 72.
 Quod ipsum etiam nostra Statuta clarissimis verbis de-
 notant, dum inter mobilia expressè referuntur *verfals-
 lene und betagte Zins/ Rent und Gültten. §. Und nachdem
 eine Zeithero.* Sed quid si annui reditus pro parte sal-
 tem cesserint? Existimamus hosce pro rata temporis
 quatenus scilicet dies solutionis cessit, pro mobilibus,
 quatenus autem dies non cessit pro immobilibus ha-
 beri. *Andr. Gail. dict. lib. 2. obs. 10. n. 3. Matth. Berlich.
 part. 3. concl. 34. n. 37. Carpzov. J. F. part. 3. constit. 24. de-
 finit. 6. per tot.* Est & hoc in nostris Statutis specialiter
 observandum, quod nomina & pecunia ex immobili-
 bus debita, sine distinctione, an dies cesserit vel non,
 immobilibus annumerentur. Per verba §. *Die rechts-
 mässige Schulden.* & verba *gemeine häuffende Schul-
 den/ so nicht von verkaufften liegenden Gütern herrühren.*
 §. Und nachdem; Ita ut in nostris Statutis, uti non pauci
 sentiunt, quoque obtineat, pecuniam ex immobilibus
 debitam ex natura surrogatorum etiam pro immobili
 haberi, *Andr. Gail. lib. 2. obs. II. n. 10. l. 1. §. 10. ff. si quis
 test. liber. esse juss. fuer.* Similiter dubium moveri pos-
 set, an fructus pendentes in agris, vineis, pratis &c.
 pro immobilibus adeoque liberis affectis bonis sint ha-
 bendi; Quos inter mobilia certis suis restrictionibus
 jura Saxonica referunt æstimantia scil. jus percipiendi
 fructus, non tam ex fundo quam ex cultura, quâ per-
 actâ fructus possessori jam acquisiti videntur. *Matth.
 Berlich. part. 3. concl. 30. n. 20. Hartmann. Pistor. part. 1.
 quest. 24. num. 81.* Sed cum statuta nostra uti supra de-
 ductum in casibus dubiis & expressis interpretatio-
 nem suam à Jure Civili accipiant, Fructus pendentes

E 2 non

nondum separatos tanquam accessorium, pertinens ad partem fundi consideramus, rebusque immobilibus annumeramus. Fructus enim licet maturi Domino proprietatis acquiruntur, inquit Imperator *Justin. in §. 37. Inst. de Rer. Div. l. 44. ff. de R.V. l. 27. & 35. ff. de usufr. l. ult. §. 6. ff. quæ in fraudem Cred.* Licet hoc etiam in ipsis nostris quasi expressum perspiciamus, dum inter immobilia ad Conjugem Superstitem spectantia numerantur saltem fructus percepti, *allerley abgelegte Erdfrüchte. §. und nachdem eine Zeithero &c.*

T H. XVI.

Liberis
etiã quæ-
dam certa
mobilia
sunt affe-
cta.

Præter immobilia in nostris Statutis longa serie recensita Liberis quoque vi §. von ganzem Haußrath/ quædam mobilia sunt affecta, ipsisque pro parte hæreditaria proportionabiliter competunt, scilicet tota supellex Domestica, linteamina, & defuncti Parentis vestimenta ex quibus omnibus quilibet liberorum tantam quantam superstes Conjux portionem accipit; Quæ portio inter bona Liberorum affecta computanda diligenter describenda, juxta verum pretium æstimanda & sicuti immobilia quoad Usumfructum, ita hæc quoad usum superstiti Parenti ad dies vitæ relinquenda, qui salva manente talium rerum substantia illis utatur, fruatur & accidenti deterioratione omnem defectum suppleat, §. vom ganzem Haußrath; Superstitis tamen Parentis electioni relinquitur, an talia bona affecta quoad usum & usumfructum retinere, an verò liberis vel ipsorum Curatoribus ad evitandum deteriorationis periculum & declinandam incumbentem onerum præstationem pleno jure intra anni terminum

minum extradere velit; §. Wolte aber dem ic. per verba
 inner Jahresfrist; Et in hoc scilicet quoad Usumfru-
 ctum ad dies vitæ superstiti Parenti competentem dif-
 fert Jus Nostrum Statutarium à Jure Civili Communi,
 quo Liberi ab intestato Parentibus succedentes, si non
 amplius fuerint in potestate patria constituti, portio-
 nes suas statim pleno jure consequuntur. *Nov. 118. cap. 1.*
 conforme autem est cum Jure Provinciali *Württembergico*
part. 4. tit. 7. §. Und was von des Abgestorbenen ic.
 Cætera omnia mobilia qualiacunque sint, undecunque
 provenerint, sine ulla distinctione sive ad demortuum
 sive ad superstitem Conjugem spectaverint, pleno hæ-
 reditatis jure in Superstitem Conjugem devolvuntur,
 de quibus pro lubitu aut inter vivos aut mortis causa li-
 berè disponere illaque secundo Conjugi vel secundis
 liberis relinquere & ad quemcunque alienare potest;
 per verba finalia: Wann nun oberzehltes alles; Quæ
 autem sub nomine mobiliū veniant, de hisce fuit olim
 dubitatum, quæ autem exploso omnis dubitationis
 scrupulo in Nostris Statutis novissimis specificè sunt
 descripta cum hoc generali annexo, quod omnia sub
 nomine mobilium comprehensa videantur, quæ juxta
 propriam mobilium definitionem de loco in locum
 moveri possunt; per verba: alles anders so beweglich
 getrieben oder getragen werden mag; §. und nachdem.

Mobilia
 spectant
 ad Super-
 stitē Con-
 jugem.

T H. XVII.

Non autem sufficit Liberis præmortuo uno Pa-
 rentum omnia immobilia & quæcunque specificè sub
 illorum numero veniunt, pro competenti paterna &
 materna hæreditate affecta esse, sed desuper saluberri-

Bonorum
 affectorū
 conserva-
 tio.

me Nostrorum Statutorum Conditores etiam de affectorum bonorum conservatione prospexerunt, ideoque prudentissimè ordinarunt, ut in meliorem observationem bonorum affectorum illa à tempore prædefuncti Parentis intra octiduum per Personam Publicam scilicet Cancellariæ scribam in præsentia Superstitis Conjugis Liberorum & illorum proximorum Cognatorum seu Agnatorum describantur, certoque libro, quales hodiè sunt Libri Inventariorum, inserantur: §. und nachdeme *rc. in fine.* Quo prævio observato, juxta ulteriorem nostrorum Statutorum tenorem attentendum & expectandum erit, an Superstes Conjux ad secunda vota transire, aut potius in Statu Viduitatis perseverare velit: Priori casu iterum varia observanda occurrunt; Primo enim debent peti tutores à magistratu, qui observent bona affecta; & quidem secundo indifferenter, sive Pater sive Mater superstes sit, per verba & §. *Wolte das überlebend Ehegemächt;* In quo nostra Statuta iterum à Jure Civili communi differunt, vi cujus omnis tutoria potestas, quamdiu paterna durat cessare solet, ita ut si Pater non saltem ad secunda sed tertia & ulteriora vota transeat, liberi tamen ipsius potestate non eximantur; Noluerunt siquidem Romani ut ob iteratas Nuptias liberi diffidant Patri, qui erga suam Progeniem optimi semper creditur esse animi, & saluberrimum pro hac capere consilium *l. 7. Cod. de curat. fur. l. 25. Cod. de inoff. test. Bensöld. ad Coler. dec. 222. n. 16. Pinel. in l. 1. Cod. de bon. matern. part. 2. n. 20. & seqq. Heët. Felic. de Soc. in proæm. n. 9.* Et hoc etiam Ulmæ ita observari claris verbis ex ipsorum Statutis apparet *part. 1. tit. 4. §. 1.* per verba:

verba: die von Stund an verpfleget werden sollen; Item in Civitate Francofurtensi ad Oderam teste *Brunne-
manno ad L. fin. Cod. de Secund. Nupt.* Ubi apud Nos, inquit, Parentes ad secunda vota se conferentes tenentur Tutores petere & Inventarium bonorum scribere, & hoc vocant *Vorhero Richtigkeit machen mit denen Kindern*: Nec in Austria, Thuringia, item Rigæ, Bremæ, Hamburgi, Luneburgi hoc jus ignoratur, sed in quotidiano vigore exercetur, test. *Mev. ad Jus Lubec. part. 2. tit. 2. artic. 2. n. 29.* Tertio debet hæc requisitio & petitio Tutorum fieri ante deductionem ad templum, copulationem seu benedictionem sacerdotalem per verba: *vor dem Kirchgang und der Hochzeit*: Qui modus successit in locum Romanæ domum-ductionis *D. Struv. in Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 29. thes. 26. Carpzov. Jurispr. Consistor. l. 2. def. 142. n. 4.* Quæ tamen domum-ductio in Jure Romano nullibi legitur impedita, usque dum liberis prioris matrimonii tutores requisiti aut dati fuerint; Hoc ergo de Nostro jure Statutario potius quam Jure Civili obtinet, & principaliter in Liberorum utilitatem vergit. Quibus Statuta Nostra omni meliori modo prospiciunt. Quarto debet hæc requisitio & petitio Tutorum fieri à sponso: per verba, *von dem Hochzeitter allegat. §. sive sit Pater sive Vitricus*; Non autem à Matre Sponsâ. Ex hæc scilicet ratione, quia hæc requisitio & petitio Tutorum interponitur coram Magistratu, adeoque est actus judicialis, à quo mulier etiam pro se agendo juxta nostra Statuta excluditur; per §. *Wann sich auch begibt.* Sed quid si Pater seu Vitricus ipsi injunctam petitionem Tutorum aut differat, aut planè intermittat, an in illum

illum statuendum, quod olim in matre secundo nubile in Jure Romano dispositum legitur, secundum quod in poenam privationis hæreditatis liberorum incurrebat, *l.8. Cod. qui pet. tut.* Si scilicet sedulum petendi tutoris officium neglexerit? Respondemus: cum in poenalibus vagari non liceat, nec poena nisi in casibus expressis imponenda veniat, *l.14. §.14. ff. de relig. & sumpt. funer.* Jus quoque Nostrum Elslingense nullam certam poenam imponat; Hanc constitutionem Tutorum Magistratus providenti officio relinquendam esse, quod & extra bona affecta denotant verba: *Von Uns dem Rhat mit Pflegern und Zusehern versehen werden; §. Wann sich auch begibt.* Maximè ergò bonis affectis existentibus hæc petitio & constitutio Tutorum necessaria est, per verba: *So sollen ic.* Quæ necessitatem Parentibus binubis injungunt: Hæc enim semper est vis vocis *DEBET*, quod necessitatem & determinatam dispositionem imponat. *Chassan. ad consuet. Burgund. rubr.2. §. verbo doit. n.1. & 2. Alex. vol.2. cons.222.* Quæ tamen non ita sunt intelligenda, quasi Pater hoc modo omnium bonorum administratione privetur, eaque tutoribus deferatur, quæ Ipsi utique reservata manet, sed potius ut hujusmodi Tutores saltem sint honorarii & quasi observatores & Custodes affectorum bonorum arg. *l.3. §.2. ff. de administr. & peric. Tutor.* Nam sicuti penes Patrem ad secunda vota transeuntem etiam de Jure Civili Romano Ususfructus bonorum adventitiorum remanet, *l. fin. Cod. de bon. Matern.* Ita etiam de Jure Nostro Statutario eundem retinet ex bonis affectis, quorum administratio per inspectionem hujusmodi tutorum honorariorum ipsi

faria Curatoris adjunctione Maritum viventem legitimum Uxoris Curatorem esse eo ipso concludimus; Quod licet Juri Civili maritum Uxoris Curatorem esse expresse prohibent, *l. contrarium §. pen. Inst. l. 4. & l. 17. Cod. de excusat. tut. l. 4. C. de Curat. furios. l. 2. Cod. qui dare Tut. vel Curat. poss.* tamen Nostro & Jure Württembergico *part. 4. tit. 18. §. Wir wollen auch ic. ut & Saxonico & Hamburgensi*, imò communiter moribus hodiernis ita observatur, ex rationibus tam ex Jure Divino quam Civili allegatis à *B. D. Lauterbachio in differ. Jur. Civ. & Württemb. ad part. 1. tit. 18. thes. 41.*

T H. XII X.

De Usus-
fructus
annexis.

Usumfructum ex bonis liberis affectis Superstiti Parenti salva manente ipsorum substantia ad dies vitæ deberi, in generalioribus jam supra deductum est, quod specialius explicatur in §. *So daß solle ic.* Vicujus i. bona affecta neque per contractum inter vivos neque per testamenta aut alias quascunque dispositiones Parenti superstiti alienare licet; Quæ alienatio etiam de Jure Württembergico interdicta, per verba: *viel weniger etwas darvon verändern/ §. Es soll auch ic. part. 4. tit. 5.* & communiter Jure Civili prohibita *l. 1. Cod. de bon. matern. l. 6. §. 2. Cod. de bon. qua lib. in pot. patr. Molinaus ad l. 1. in pr. n. 26. ff. de V. O. Frideric. Pruckm. vol. 1. cons. 48. n. 121.* Rei enim alienæ lex frustra imponitur, *l. ult. in fin. Cod. de pact.* Et si parens, uti non rarò accidit, ipso facto alienare ausus fuerit, liberi vel ipsorum tutores non obstante usucapione omni tempore talia bona vindicare possunt. *l. 1. Cod. de bon. matern. Covarruv. var. resol. 1. c. 8. n. 5. Ranchbar. 1. quest. 43. Schrader. in Miscell. cap. 10. part.*

obligatione præcise requiruntur. *l. 1. l. 10. l. 11. l. 12. & tot. tit. Cod. de præd. minor. sine decret. non alienand. Carpzov. Jurispr. forens. part. 2. const. 11. def. 28.* Sed an superstes Parens competentem usumfructū alienare possit, alia est quæstio, quam Imperator negativè resolvit; §. 3. *Inst. de Usufr. l. 66. ff. de jure dotium*; Nisi ad ipsos liberos per alienationem transferatur, cedendo enim extraneo nihil agitur, *dict. §. 3. Inst. de Usufr. & l. 57. §. 1. ff. solut. matrim.* Distinguunt tamen Dd. inter ipsum Usumfructū qua Usumfructum, & exercitium Ususfructus, priori modo Ususfructus qua jus non potest cedi seu alienari, posteriori autem modo quoad exercitium & perceptionem tertio utique validè cedi nihil prohibet, videtur enim tum usufructuarius mediante persona cessionarii uti frui, §. 1. *Inst. de Usu & habit.* Licet ergò non valeat cessio ususfructus, valet tamen concessio, ut optime distinguit *Matth. Colerus de proc. execut. part. 2. cap. 3. n. 268. Carpzov. J. F. part. 1. def. 21. n. 5. & 6.* Remanente interim jure Ususfructus penes Usufructuarium, perinde ac Creditor actionem quam habet vendere & mandare alteri potest, ita tamen ut nihilominus jus agendi quod ex conventionem descendit, & ut Dd. loquuntur, ossibus ipsius inhæret, in persona ejus remaneat, *l. 3. Cod. de Novat. Reinhard. Bachov. in animadvers. ad Treitler. vol. 1. disp. 16. th. 10. lit. A. B.* secus se res habet in locatione, quæ omni Usufructuario ipso jure competit, §. 1. *Inst. de Usu & hab. l. 8. pr. ff. de bon. auth. Jud. Possid. l. 38. 39. 67. ff. de usufruct. l. 8. §. ult. ff. de peric. & commod. rei vendit. l. 9. §. 1. & l. 17. ff. de pignor. & hypoth.* 2. Tenetur superstes Parens tanquam Usufructuarius ad præstationem omnium onerum
tam

tam realium quam personalium, quæ de bonis affectis ullo modo exiguntur, per verba: alle onera realia & personalia: *dict.* §. Sodann solle; In quo nostra Statuta tum cum *Jure Württembergico* in verbis, auch alle Beschwerden gegen Uns als der Herrschafft und sonst darvon reichen und fragen §. Es soll auch *part. 4. tit. 5.* tum ipso jure Civili conveniunt, quo Usufructuarius licet Dominus prædii non sit, collectas tamen aliaque onera sive ordinariè sive extraordinariè imponantur, subire tenetur, *l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. ff. de Usufr. Joh. Carpz. in tractatu de expens. & melior. c. II. n. 45. & seqq. Jacob. Cujac. lib. 7. obs. 4. Hartm. Pistor. part. 1. quæst. 46. n. 33.*

3. Bona affecta ita conservet, ne deterioris conditionis aut qualitatis fiant; per verba in wesentlichem Bau und Besserung erhalten; §. Sodann solle *re.* Quod de Jure Württembergico sub poena amissionis Ususfructus Superstiti Conjugi injungitur, in verbis die liegende Gütere bey Verlierung derselben Niessung nicht verderben oder in Abgang kommen lassen: *dict.* §. Es soll auch *re. part. 4. tit. 5.* Et hoc ipso jure Civili quoque cautum est, usufructuarium causam proprietatis haud debere deteriorem facere *l. 9. in pr. l. 13. §. 4. ff. de Usufr. l. 2. ff. si ususfr. pet.* ita ut propter deteriorationem Usufructuarius ad interesse conveniri possit *l. 1. §. 5. ff. usufr. quemad. cav.*

4. Tenetur Superstes Parens passiva currentia quæ scilicet non sunt capitalia sive sint constanti matrimonio sive post mortem demortui conjugis facta, intuitu gaudentis usufructus solvere, qualia sunt quæ debentur Opificibus, Mercatoribus & similia, per verba expressa finalia nostrorum Statutorum §. Sodann solle *re.* *secus se res habet de jure Württem-*

bergico: ubi debita ab utroque conjugum contracta, five sint capitalia five Currentia, primò ab acquisitis, ac si ea non sufficiant æqualiter ex allatis sunt dissolvenda, *part. 4. tit. 4. §. Nembslichen* &c. In totum autem quoad hunc passum nostra Statuta à Jure Civili differunt, cujus Dd. communiter tradunt, Usufructuaria non teneri solvere æs alienum à defuncto contractum, sed illius exsolutionem competere proprietario. *l. ult. ff. de usufr. legat. & l. 69. ff. ad Leg. Falcid. Menoch. lib. 4. presumpt. 143. n. 9. Cravett. consil. 536. n. 13.* Per confectiõnem enim Inventarii in tempore sibi prospiciat Conjux Superstes Eslingensis, an debita exsolvenda currentia ipsum usumfructum transcendant, secumque deliberet, an bona affecta quoad usumfructum retinere, an verò illa, contentâ suâ portione virili, liberis pleno jure cedere velit, quod beneficium intra anni spatium ipsi specialiter in nostris Statutis concessum est, *§. Wolte aber* &c. 5. Incumbit Superstiti Parenti usumfructum ex omnibus bonis retinenti, liberorum alimentatio & educatio per verba, *zuerhalten/ zoversorgen* &c. Licet enim naturalis stimulus parentes ad alimentationem & educationem liberorum suorum hortetur, *l. un. §. 5. Cod. de R.V.* & alere liberos Parentibus incumbat, non tam propter hæreditates quam propter ipsam naturam & leges, quæ à Parentibus alendos esse liberos imperaverunt, uti loquitur Imperator in *l. 8. Cod. de bon. qua lib. in pot. patr. const. ex matrim.* Tamen vi nostrorum Statutorum intuitu usufructus gaudentis eo magis ad hoc obligantur; *sub verbis autem erhalten/ versorgen/* non tantum nuda alimentatio, sed etiam institutio, informatio & disciplina intelligitur,

tur,

tur, ita ut etiam sumptus studiorum sub hisce conti-
 neantur *Jason in l. 8. §. 12. ff. de transact. Besold. ad*
J.P.W. part. 4. t. 7. n. 49. modo hujusmodi sumptus fa-
 cultatem ususfructus non superent, & ultra vires ipsius
 sese extendant, ut semper scilicet aliquid ex redivu su-
 persit, uti loquitur *Jctus Ulpian. in l. 2. & 3. ff. ubi pupill.*
educ. vel morar. debeat & de aliment. 6. Incumbit Su-
 perstiti Parenti usumfructum ex bonis affectis habenti,
 liberorum ad matrimonium transeuntium, Dotatio,
 sine distinctione, an Superstes Coniux Pater sive Mater
 fuerit; per verba *überlebend Ehegemächt / §. So ist*
auch 2c. Nam licet jure communi mater ad donatio-
 nem propter nuptias aut ad dotem pro liberis præstan-
 dam non cogatur nisi ex magna & probabili causa, uti
 loquitur Imperator in *l. 14. Cod. de Fur. dot.* Nam do-
 tem vel donationem propter nuptias dare suis Liberis
 paterni & non materni est officii *l. fin. Cod. de dot. pro-*
miss. *Carpzov. part. 2. const. 10. defin. 21. n. 2.* In nostro
 tamen foro & pater & mater ad hoc æqualiter obligan-
 tur. Quod etiam obtinet de *Jure Württembergico part. 4.*
tit. 13. in pr. Modo liberi in hoc casu etiam sua officio-
 sa obsequia observent, scilicet sponsalia cum præscitu
 & consensu Superstitis Parentis contrahant, quod de-
 notant verba, *mit seinem Rath und Wissen 2c.* allegat
 §. *So ist auch 2c.* Nam si contra intentionem præscitum
 & consensum Parentum liberi nuptias contrahant, ipsis
 neque dos neque donatio propter nuptias debetur,
 quod expressis verbis in nostris Statutis quæ vocantur
Zucht-Ordnung / specialiter cautum est, rubric: von
Ehe-Verpflichtung / und wie es mit denen Winckel-Ehen
solle gehalten werden / §. Würde es sich dann zutragen /
 itidem

itidem *J. P. W.* §. Würde sich dann *cc. tit. 13. p. 4. Gail. lib. 2. obs. 95. Besold. ad J. P. W. part. 4. tit. 13. n. 58.* Nec hic casus pro unico exclusivo habendus, cum sub ditione ehrlich verheurathen / allegat §. So ist auch *cc.* plures casus ex quibus donatio propter nuptias & datio dotis deneganda, comprehendantur, de quibus latè videatur *Trentler. vol. 2. disp. 7. th. 3.* Et per verba mit zimlichem Heurath Gut / intelligitur dos competens pro scilicet qualitate personæ, pro facultate patrimonii, & numero liberorum *l. 43. ff. de legat. 3.* De Jure nostro Statutario præcipuè respiciendum est in qualitatem bonorum affectorum, per verba nach Beschaffenheit der Verfangenschaft: de bonis namque affectis apud Nos dos seu donatio propter nuptias constituenda est, quæ ut *Dd.* distinguunt dos adventitia vocatur: *Schütz. in compend. Jur. ad tit. Dig. de Jur. dot.* quod & *Jure Württembergico* observatur, *part. 4. tit. 13. §. Im fall cc.* Et hoc regulariter secundum Statuta tam *Eßlingensia* quam *Württembergica.* Verum enim verò si pater etiam habens rerum adventitiarum usumfructum simpliciter dotem vel donationem propter nuptias liberis fecerit, jure Civili de propriis bonis ex paterna affectione dotem dedisse censetur per text. expressum in *l. fin. Cod. de dot. prom. arg. l. 5. §. 12. ff. de Jur. dot. Mascard. de prob. concl. 1150. n. 7. Menoch. de presunt. lib. 3. pres. 15. n. 9. Bachov. ad Trentler. vol. 2. disp. 7. thes. 2. lit. C. Perez. in Cod. de dot. promiss. n. 7.* Ideoque determinanda dotis quantitas & qualitas de propriis bonis regulariter jure Civili solius patris arbitrio relinquitur. *B. Dn. D. Lauterbach. in differ. Jur. Comm. & Württembergici ad part. 4. tit. 13. th. 12.*

Hoc

Hoc autem iterum fecus de Jure nostro Eßlingensi Statutario, quod in casum aut nullius, aut non congruæ dotis antequam ad magistratus officium recurratur, præliminariter judicium proximorum agnatorum seu cognatorum requirit, per verba nach Gutachten der Freund etc. dict. §. So ist auch etc. item Württembergico per verba: nach der Freundschaft Mäßigung etc. part. 4. tit. 13. §. Da aber der Eltern; Et si parens superstes in convenienti dote constituenda consilium seu intentionem proximorum liberorum agnatorum adimplere recuset, recurritur ad Judicem seu Magistratum per verba: Nach Gutachten der Obrigkeit etc. dict. §. So ist auch etc. Similiter de Jure Württembergico in verbis: Soll die Sach zu unserer Ampfleut und Gericht Erkantnuß stehen; quæ utraque Statuta in hoc ipso cum Jure Civili in tantum conveniunt, ut parens recusans non quidem jure actionis, sed officio Judicis ad congruam & convenientem dotem constituendam compellendus sit; l. 19. ff. de ritu nupt. l. ult. §. utramq. Cod. de dot. promiss. Andr. Gail. lib. 2. obs. 95. n. 1. Carpzov. J. F. part. 2. cons. 42. def. 12.

T H. XIX.

In antecedentibus jam dictum est, superstitis Conjugis Electioni & arbitrio relinqui, an intuitu percipiendi ususfructus bona affecta usufructuario retinere, an verò intra anni spatium liberis pleno jure cedere velit; Quo posteriori casu superstes Conjux cum suo supra determinato præcipuo atque portione virili ex tota substantiâ tam propria quam demortui Conjugis contenta esse tenetur: per verba: **Sar sein Antheil**
G ein

Duplex
 Successio
 Conjugum
 & Libero-
 rum Eßlingensium.

ein Kindstheil eigenthümlich und pleno jure empfangen mag. §. Wolte aber. Et cuilibet liberorum pro paterna & materna defuncti & viventis hæreditate tantum pleno jure assignatur, quantum Superstes Parens excepto præcipuo pro sua portione accepit: Quo casu Liberi de suis portionibus hæreditariis tanquam pleno jure ad ipsos spectantibus alimentari, educari, sustentari atque dotari debent, *dict. §. Wolte aber in fin.* Hæcque successio in nostris statutis vocatur successio, nach dem Theil-Recht und nicht nach dem Versangenschaffts-Recht: per verba, gleichlich abtheilen. §. Wolte aber. & §. Solte sich aber. Duplex ergo est successio Conjugum & Liberorum de Jure nostro Esslingensi Statutario, aut enim succeditur nach dem Versangenschaffts-Recht / aut succeditur nach dem Theil-Recht: juxta prius; Quando superstes Conjugis suo præcipuo contenta omnia mobilia pleno jure retinet, immobilia autem quoad proprietatem ad liberos spectantia usufructuario possidet; Juxta posterius scil. nach dem Theil-Recht succeditur, tam ratione immobilium quam mobilium, sive à defuncto sive superstite conjugis & parente provenientium, in æquales portiones viriles per verba gleichlich abtheilen / einen Kinds-Theil empfangen. §. Wolte aber / & verba: zu gleichen Theilen Aichelen Weis vertheilet werden etc. §. Solte sich aber; In hac autem successione nach dem Theil-Recht iterum duplex respectus est habendus: aut enim substantia tam demortui quam viventis conjugis & Parentis ita est comparata, ut aut nulla immobilia aut saltem pauca, mera autem vel plurima mobilia contineat, & tunc tam à parente quam liberis succeditur in æquas portiones, & ut

ut

ut vocant *Nichelen Weiß. §. Solte sich aber.* remanente tamen usufructu ex liberorum portionibus hæreditariis penes parentem superstitem. *d. §. in f.* Aut substantia præ mobilibus plura continet immobilia, & tunc superstes parens immobilia regulariter usufructui subjecta liberis ex libera voluntate, contenta suo præcipuo & portione virili, ex tota substantia pleno jure cedere potest; cessante tamen in hoc casu usufructu alias parenti regulariter competenti *d. §. Wolte aber.* In casu ergo præmortui Patris vel Matris nullis existentibus pactis dotalibus ante omnia in qualitatem tam præmortui quam viventis substantiæ specialiter autem in hoc casu inquirendū est, an mera adsint mobilia, vel tanta, ut immobilia longè superent: Quo casu nunquam succeditur nach dem Verfangenschafft; sed semper fit successio in portiones viriles, nach dem Theils Recht: juxta tritum: so viel Mund so viel Pfund i. e. ut nostra statuta explicant *Nichelenweiß: dict. §. Solte sich aber.* Sed non vice versâ: Quando scilicet immobilia superant mobilia. Hoc enim specialiter in favorem liberorum introductum est. Ne prævalentibus mobilibus alias regulariter superstiti conjugi juxta tenorem des Verfangenschafft; Rechts competentibus superstes conjux præ liberis pinguiori hæreditate gaudeat, quod ipsa verba. *§. Solte sich aber.* satis luculenter declarant; Ex qua successionum variatione non sine injuria nostris statutis per vulgum imputatur, quasi ad instar cerei nasi pro lubitu in quamcunque partem flecti possent: Man könne es trāhen wie eine wächsferne Nase. id est ad arbitrium judicum, Consulentium, & Advocatorum; *secundum quod eis visum fuerit justius*

& melius & in favorem utriusq; partis, uti malè quidam ex authent. hodiè. & Nov. 8. cap. 3. concludere conati sunt; Jus enim nostrum Statutarium quoad naturam Juris semper in se certum est, sed facti interpretatio etiam prudentissimos fallere potest, uti loquitur J Ctus Neratius in l. 2. ff. de Jur. & fact. ignor. ita ut Jus Nostrum Statutarium potius pro ferreo quam cereo habendum sit; de quorum differentia videatur Excellent. D. Textor in Disp. de Jure cereo & ferreo. Respondente Marco Tobia Neubronnero Heidelbergæ habita.

T H. XX.

An de bonis affectis testari liceat?

Occasione bonorum affectorum non intacta relinquenda est illa in Nostris Statutis non satis explicitè decisa quæstio; An scilicet liberi præsuppositâ ipsorum habilitate de bonis affectis testari possint? Quam quæstionem Jus Civile negativè resolvit: In *pr. Inst. quibus non est perm. fac. test. l. 6. l. 16. ff. l. 3. §. 1. Cod. qui test. fac. poss.* Ita ut filiusfamilias ne quidem de rebus adventitiis irregularibus testari possit, *l. pen. Cod. qui test. fac. poss. Joh. Dauth. tit. qui test. fac. poss. n. 154. & seqq. Ludvvel. in tract. de ult. volunt. ad l. fin. §. 5. vers. Filiis autem famil. Cod. de bon. qua liber. pag. 608. & seqq. Bachov. ad Treutler. vol. 2. Disp. 10. th. 2. Lit. E.* Sed hoc nostris moribus, mutatâ paternæ potestatis facie, haud amplius obtinere videtur. Quod & de suarum regionum contraria observantia testatur *Vinnius*, ubi liberi omnes, qui modò ea ætate sunt, quâ testamentum condi potest, de bonis maternis cæterisque adventitiis omnibus rectè testantur; Hocque etiam in Hispania observari, atque in Germania & Gallia receptum

ptuna

ptum esse, cum authoritatibus allegat in suo *Commen-
tar. ad Inst. lib. 2. tit. 12. ad pr. in fin.* Quod ipsum etiam
in *Reformat. Noric. lib. 1. tit. 29.* specialiter concessum:
Talemque testandi facultatem de bonis propriis Juri
Gentium conformem esse statuit *B. D. D. Lauterbach. in
differ. Jur. Civ. & Württenb. ad part. 3. tit. 2.* Ideoque
Jure Württembergico cum expressa rejectione Juris
communis hæc observantia quoque recepta. *part. 3.
tit. 2. §. Und wiewol!* & *part. 4. tit. 15. von Vererbung der
hinderfälligen Gütere §. fin.* Inque Nostris Statutis im-
plicitè contenta, argumentando ab unione prolium
tanquam pacto successorio ad alias ultimarum volun-
tatum species §. *Erstlich solle.* Ut taceamus de Jure
Nostro Statutario bona avita, etiam sub nomine affe-
ctorum & adventitorum alias venientia in certis casi-
bus liberis pleno jure cedenda, eoque ipso disponendi
facultatem concessam esse; *rubr. von Ehm und Ahna-
guth, §. Wann nach getrennter Ehe.*

TH. XXI.

Sed quæritur, si de Jure Nostro Eslingensi Statu- De Libe-
tario divisio bonorum hæreditaria simpliciter secun- rorum Le-
dum Jus quod vocamus *Verfangenschafts-Recht* insti- gitima,
tuatur, ita ut superstes Conjux omnia tam defuncti
quam sua mobilia, liberi autem etiam indifferenter
omnia immobilia retineant, remanente tamen usu-
fructu penes parentem superstitem: An in tali casu
superstes parens de suis mobilibus per hæreditatem
pleno jure in ipsum translatis liberis legitimam relin-
quere teneatur? Quod quoad naturam Legitimæ ex
jure naturali immutabili competentis haud negan-
dum

dum videtur; sed tenore Nostrorum Statutorum penitus inspecto apud nos aliter observatur; Ita ut superstiti parenti divisione simpliciter juxta jus quod vocant **Verfangenschafft-Recht** instituta, de portione sua hæreditaria scilicet mobilibus liberè tam inter vivos quam mortis causa non attenda *L. Hac Edictali. Cod. de sec. nupt.* vel Liberorum legitima pro lubitu disponere possit; Quod clarissimè denotant verba: darmit seines Gefallens ohne Eintrag und Hinderung der Kinder haben zu schaffen / zu walten / zu disponiren / zu testiren / oder in andere Wege dem Ehegemächte anderer Ehe / oder anderer Ehe Kinder zubringen. §. Wann nun überzehltes alles. & verba: und sollen die Kinder durch diese Theilung für Väter- und Mütterlich Erb hindan gewiesen seyn; §. So ist auch das überlebend: *in fin.* quæ verba repetuntur. in §. Sollte sich aber. *in fin.* Nec hæc suâ ratione caret dispositio, ita ut si accuratius consideretur neq; Legitimæ neque *Legi Hac Edictali*: per illam aliquid detractum esse statui queat: Nam cum superstes Conjux etiam propria sua allata immobilia Liberis inter affecta relinquere teneatur, non rarò præsertim superantibus immobilibus mobilia, accidere poterit, ut superstes parens non tantum quantum in matrimonium contulit, ex hæreditate prædefuncti recuperet, liberi verò plerumque plus assequantur, quam ipsa Legitima requirit; Nec habent quod conquerantur liberi, si parum aut nihil amplius ex bonis ultimi defuncti parentis tanquam hæredes accipiant, cum illo vivo quoad immobilia jam antea illius hæredes quodammodo existiterint, & plerumque plus ipsa legitima acceperint; Licet olim ex jure illo vetustiori etiam in ducatu Württem-

tem-

tembergico obtento **Verfangenschafft-Recht** non raro magna iniquitas exorta atque unius vel alterius matrimonii liberi in Legitima defraudati fuerint: de quo conqueritur *Christoph. Besold. in Diss. ad J.P.W. part.4. tit.14. n.60.* Cui autem per ipsa Nostra Statuta, ubi non ita simpliciter, sed observatâ proportione mobilium & immobilium succeditur, satis superque prudenter prospectum est; Et hoc non unâ vice apud Eslingenses ita observatum fuisse, ex antiquioribus Nostrorum Inventariorum & Divisionum in Cancellaria reservatis libris hinc inde cum certis tamen suis restrictionibus adjectisque plerumque transactionibus perspiciendum est. In quibus occurrentibus casibus non immeritò ad observantiam recurrendum, quæ semper optima statutorum interpretis est, *l. 37. l. minimè. ff. de LL. l. certi juris Cod. de jud. cap. cum dilectus. extr. de consuet. Menoch. cons. 192. n. 37. Mev. in cons. posth. cons. 9. n. 85. cons. 10. n. 6. & cons. 67. n. 53.* Secus autem se res habere videtur quoad legitimam parentibus debitam, quæ Parentibus, etiamsi succedatur **nach dem Verfangenschafft-Recht** non est minuenda, multò minus in totum auferenda, ne scilicet parentes propriis suis immobilibus, quæ sæpissimè sub ipsâ legitimâ iterum restituantur, priventur & innocenter lædantur.

TH. XXII.

Cum successio secundum Jus nostrum Statutarium quod vocamus **Verfangenschafft-Recht** non raro propter inæqualitatem mobilium & immobilium quadam iniquitate laborare videatur, in ipsis Nostris Statutis remedium interponentium pactorum præsertim unionis prolium præscriptum habemus, per quæ
pacta

De unione
Prolium.

pacta inter personas quæ sibi arctiori vinculo sunt con-
 nexæ materia litium & discordiarum abominanda,
l. 77. §. 20. ff. de Leg. 2. utilissimè præcaveri atque tol-
 li solet; Quamvis enim uti supra allegatum pacta
 successoria de jure Civili reprobata sint, tamen
 consuetudo unionis prolium passim in Germania
 multorumque locorum Statutis specialiter appro-
 bata, *Gail. lib. 2. obs. 125. in pr.* Ipsoque teste etiam
 in Camera est recepta: *alleg. loc. n. 7.* Apud nos au-
 tem in frequentiori usu olim habita, per verba:
Und nachdem die Einkindschafft bey dieser Stadt und
Burgerschafft fast gemein seynd; Quod demonstrant
 volumina illa Librorum unionum prolium die **Eins-**
kindschaffts-Büchere/ in Nostro Archivo reservata, qua-
 lium etiam meminit *Wehnerus in suis pract. obs. vocabu-*
lo Einkindschafft/ quod scilicet alicubi speciales Libri ad
hoc deputati sint, in quos referenda sit unio omnibus jam
numeris absoluta; Nititur autem usitata apud Nos unio
 prolium certis suis adhibendis solennitatibus in No-
 stris Statutis punctatim expressis ad unguem observan-
 dis: Ut scilicet 1. fiat aut in præsentia & cum consensu
 liberorum Majorennium, aut præsentibus Curatoribus
 vel proximis cognatis & agnatis minorennium; 2. In
 judicium cum causis moventibus deferatur; 3. Speci-
 ficatio seu consignatio bonorum affectorum judiciali-
 ter producat; 4. Cognitio judicii de super desideretur
 & expectetur; 5. A proximis cognatis seu agnatis
 se credere pactum unionis è re & utilitate Liberorum
 esse speciali corporali juramento in judicio confirme-
 tur; 6. Judicis decretum confirmatorium sequatur,
 ipsius appposito sigillo corroboretur, alicujus Assessoris
 custo-

custodiæ concredat, & in cistam, quam vocant judiciariam Richterladen/ qualis habetur in loco consueto nostri Senatus atque Judicii, ubi quot judices tot cistulæ, melioris assècurationis ergò deponatur. Quæ requisita sunt de forma & substantia unionum prolium, ita ut uno vel altero non observato qualiscunque fuerit unio, tamen ipso jure nulla sit; per verba expressa: sollen pro forma & substantia in acht genommen und im widrigen die Einkindschafft für nichtig und unkräftig geachtet werden §. Jedoch solle/ in fin. Remotis namque substantialibus alicujus contractus, remotus etiam ipse contractus esse dicitur. *Salicetus in auth. sacramenta puberum num. 10. Cod. si advers. vendit. Wesembec. conf. 327. num. 40. pag. 632.* semper enim ita comparatum est, ut quando in aliquo actu forma servanda deficiat, talis actus ipso jure sit nullus. *l. 55. l. 44. §. 3. ff. de condit. & demonstr. l. 1. & 2. Cod. quando provoc. non est neces.* Est namque forma de genere indivisibilium, ut notatur in *l. 23. Cod. de fideicommiss. nec ab actu sejungi potest. l. 8. §. 17. ff. de transact. l. 122. §. 2. ff. de V. O.* Inter substantialia tamen non est numerandum, quasi unio prolium præcisè alicujus judicii Assessoris custodiæ concreden- da, vel in Cistam judiciariam deponenda esset, quod, uti supra dictum, saltem melioris assècurationis ergò adhiberi, adeoque pro forma saltem accidentali haberi potest; *Francisc. Soar. de Legib. lib. 5. cap. 31. n. 2. Salas. in simili tractatu de LL. quest. 96. tr. 14. disp. 16. lect. 9. n. 36.* Quod autem in fine materiæ unionis prolium in nostris Statutis annectitur, und sollen künfftig keine Verchlichte mehr zu Kirchen gehen/ es seyedann zuvor die Einkindschafft confirmiret/ und in die Richter-Laden hins
H derles

derleget worden ; Non ita est interpretandum, quasi omnes prolium uniones ante benedictionem Sacerdotalem conficiendæ & matrimonio consummato nullæ admittendæ essent, hæc enim verba: non de contrahenda sed contracta unione prolium confirmanda, sunt intelligenda, ne scil. confirmatio in præjudicium Liberorum nimis longè protrahatur ; Unde unio prolium à quibusdam definitur seu describitur, quod sit conventio in conjugio facta, videatur *Plebst. in Disp. ad J.P.W. part.3. Disp.3. tit.9. in pr.* Non tamen sub intellectu exclusivo, quasi ante consummatum conjugium unio prolium intercedere non posset, utpote quæ in cæteris sapit naturam pactorum successoriorum, quo quadrant distinguuntur verba *J.P.W. part.3. tit.9. in pr. bey ihren andern Verheurathungen oder auch darnach.*

TH. XXIII.

De neces-
saria In-
ventario-
rum con-
fectione.

Inter illa ad unionem prolium pro forma spectantia requisita, non minimum locum obtinet tertium illud requisitum, scilicet, antecedens Inventarii confectio seu Synopsis omnium bonorum tam parentum quam prioris matrimonii liberorum, ut scilicet Judex pleniore facultatum informatione instructus tutius de æquitate talium pactorum judicare possit, quæ Inventarii confectio nostris moribus ad evitandas omnes fraudes atque sinistras suspiciones præmissio Inventarii juramento fieri solet ; nec tantum ad pactum unionis prolium, ut malè quidam olim concludere conati sunt, sed & alios successionum casus extendenda ; ita ut apud Nos per expressum *Senatus Consultum* jam olim scilicet in *Anno 1655. die 18. Jan.* sancitum

tum

tum fuerit, quod Conjuges liberos ex priori matrimonio habentes, quotiescunq; ad secunda vota transeant, aut ante aut statim post celebratas nuptias per Cancellariæ scribam Inventarii confectionem instituere debeant: quod Conclufum melioris observationis ergò *Libro Ordinationum Eßlingensium* insertum reperitur, fol. 151. & novissimè confirmatum per *Senatus Protocolum de dato 26. Julij 1694.* hisce formalibus, **weisen dieses geschwornen Statuti, als solle es darbey bleiben; Cui non obstat: tale speciale statutum in nostro consueto Statutorum libro, qui annali homagii die universis Civibus prælegitur, explicitè haud contineri, cum illa prælectio sit saltem compendium Extractus & Epitome cæterorum Nostrorum Statutorum, quæ omnia recensendo prælegere non unius diei labor esset; Undè in generalioribus ad statuta non prælecta se sæpissimè præsertim in fine refert, ita ut non tantum super specificè expressis, sed & cæteris statutis ordinationibus conclusis Decretis omnibusque à Magistratu promulgatis seu promulgandis constitutionibus juretur, per verba: Und alle andere Ordnungen und sonst gemeiner Stadt Sazungen/ videatur Statuten-Buch §. Dem allem nach; Et quæso quomodo Liberorum Substantia ratione bonorum affectorum servari & observari, proportio inter mobilia & immobilia inveniri, aut divisio hæreditatis commodè & legaliter institui poterit, si præcedens Inventarii confectio omissa fuerit? utpote quæ semper fundamentum, super quo subsequens divisio hæreditatis exstruenda; ut taceamus hoc specialissimè in ipsis Nostris Statutis, quæ vocamus **Theil-Erb- oder Verfangenschafft-Recht/** provisum esse, uti ex §. **Von ganzem Haußrath & §. Und darmit die Verfangenschafft****

H 2


schafft; satis clarè perspiciendum est; Quod & ab ipso
 Jure communi non in totum alienum est: Quo licet
 Pater moriente uxore legitimus administrator & Usu-
 fructuarius omnium bonorum sit, tamen ex sententia
 Dd. debet conficere Inventarium, & in eo describere
 omnia bona tam sua propria quam adventitia seu ma-
 terna quæ liberis prioris matrimonii debentur, juxta
 illa quæ tradit *Mev. in cons. posthum. cons. 48. n. 48. & 49.*
 cum ibi allegatis præjudiciis; Imò hoc institutum
 Christianum est; Parentes namque ad secunda Vota
 transeuntes & existentibus Liberis Inventarii confe-
 ctionem negligentes, in vivis litium semina submini-
 strant, quibus mortuis liberi fructus discordiarum pro-
 cessuum atque inimicitiarum jure quasi hereditario
 ipsis relictarum non rarò cum æternæ salutis periculo
 colligunt; Quod in tempore præcavere omnes Chri-
 stiani Parentes omni modo studeant, utpote ad quod
 in ipsa conscientia obligati sunt. Et qui contra faciunt,
 ædificant ad gehennam, juxta illud Pontificis in *cap. 13.*
§. Nos autem X. de restit. spoliat. Olim quidem apud
 Nos hujusmodi Inventaria communiter fieri solebant,
 sed sine ulla adjecta æstimatione, uti ex antiquis in
 Nostra Cancellaria retentis Inventariorum libris per-
 spicere licet, sed cum ex æstimationis & certi pretii
 adjecti defectu plerumque tempore extraditionis seu
 restitutionis bonorum affectorum sive paternorum
 seu maternorum præsertim ratione mobilium illa-
 rumque rerum quæ servando servari non possunt con-
 tinuæ controversiæ exortæ fuerint, Amplissimus Ma-
 gistratus per comüne *Senatus Conclusum de dato 17. Jan.*
1667. quod habetur in Protocollo ejusdem anni fol. 116. &
lib. ordinat. fol. 151. saluberrimè sancivit, quod in po-
storum

sterum omnia mobilia sine ulla distinctione per deputatas publicas personas aestimari & cum pretio aestimationis Inventariis inferi debeant; Quod in hunc usque diem non tantum in mobilibus sed etiam immobilibus, & quidem quoad immobilia ex hac speciali ratione observatur, quod scilicet & pretia immobilium lapsu temporis variant, & superstites Parentes immobilium deteriorationem quoad verum pretium supplere teneantur; per verba: *darzu die Güthere in wesentlichem Bau und Besserung erhalten. S. Sodann solle.*


T H. XXIV.

Supra species successionum inter Conjuges & liberos ostensæ sunt, quoniam vero Conjugum seu Parentum bona sunt duplicia, aut scil. pleno jure aut saltem quoad usumfructum ad ipsos spectantia; quæ posteriora in specie affecta vocantur, specialis in nostris Statutis habetur rubrica: *wie hinfürter die Versangenschaffe solle geerbet werden/* scil. in casum, quando liberi non tam diu vitam agunt, donec ususfructus cum proprietate consolidetur, & ad ipsos revertatur; Casus in ipsis Nostris Statutis sub primo exemplo figuratus est hic

De bonorum affectorum Transmissione.




Quæritur, cum Johannes filius post patrem sit mortuus, quomodo bona Johannis paterna affecta sint dividenda, & an Mater tanquam hæres etiam sit admit-
tenda? quod in Nostris Statutis affirmativè, quod nempe bona affecta in tres æquales partes scil. inter Matrem & fratres ex utroque latere conjunctos sint dividenda decisum est; Ita ut juxta secundum Nostrorum Statutorum Exemplum, ad talem successionem etiam fratrum ex utroque latere conjunctorum liberi in stirpes jure repræsentationis admittantur, locumque etiam in hoc casu obtineat *Nov. 118. cap. 2.* Videatur Exemplum secundum in Statutis Eßlingensibus. Cum autem in antecedenti exemplo casus figuratus sit intelligendus de Liberis Conjugem non relinquentibus, in Nostris Statutis aliud proponitur exemplum, quomodo scilicet bona affecta sint dividenda, si defunctus patrem vel matrem cum uxore relinquat? De jure Civili Conjuges sibi invicem regulariter non succedere supra jam satis deductum est. De Jure autem *Württembergico* ita obtinet, ut superstes Conjux præmortuo saltem in bonis pleno jure perfecti ad demortuum spectantibus succedat. *J. P. W. tit. 5. tit. 6. & tit. 15.* Secus apud Nos Eßlingenses, ubi in successione Parentum cum defuncti Conjuge præmortuo altero parente quoad bona affecta juxta sequens schema proceditur.



In hoc præfenti casu tota hæreditas bonorum affectorum Paternorum inter matrem & Johannis uxorem Ursulam in æquales duas partes dividitur.


Existente vero Matre & Avia, vel Patre & Avo, defuncti Nepotis bona affecta dividuntur juxta subsequens Exemplum.



Ut

Ut scilicet nondum Avia mortua Petri Mater Anna dimidia parte de bonis affectis filii contenta esse debeat, cæteris affectis remanentibus penes Aviam.

Ne autem latius hoc Jus Transmissionis quoad bona affecta se extendat, in Nostris Statutis ad subsequentem casum restringitur.



Quo casu omnia bona affecta penes aviam remanentia in casum mortis avia devolvuntur in Johannis superstitem Sororem Mariam, nec habetur respectus ad filii Johannis defunctæ uxoris agnatos seu cognatos, qui per Mariam Sororem ab hæreditate affectorum in totum excluduntur. Et hi sunt casus figurati in nostris Statutis, ex quorum rationis paritate ad similes quoque concludere licebit per l.27. §.2. ff. ad L. Jul. de adult. l.32. ff. ad L. Aquil. l.9. §.2. ff. de edenâ. l.64. ff. de furt. l.44. in fin. ff. solut. matrim & l.1. §.10. ff. de acquirend. poss.

TH. XXV.

TH. XXV.

De bonis avitis von **Ehni und Ahna Gut** specialis ^{De bonis avitis.}
in Nostris Statutis habetur in rubrica. Sunt autem bona avita, quæ præmortuo Patre vel Matre ab avo vel avia immediatè in nepotes jure hæreditario transferuntur; Undè abusivè bona avita sæpissimè à vulgo vocantur, quæ non immediatè in nepotes sed nepotum patrem vel matrem antecedenter & ab his in illos mediatè delata sunt, quo sinistro intellectu omnia bona paterna & materna semper pro avitis habenda essent, circa quæ bona avita juxta Nostra Statuta sequentia sunt observanda; Ut scilicet 1. statim post mortem avi vel aviæ mediante Inventario conscribantur, atque libris tutelaribus, quos in nostra Cancellaria vocant **Pfleg Bücher**/ inserantur. 2. Unioni Prolium non includantur; Objectum enim, circa quod Unio Prolium potissimum versatur, sunt bona præsentia, propria Vid. **Fürstl. Württemb. Land-Recht. part. 3. tit. 9. §. Und dante.** 3. Certi inspectores desuper ordinentur; 4. Parentibus, quamdiu in viduitate perseverant, de hisce totus Ususfructus relinquatur. 5. Si verò Parentes ad secunda vota transeant, quantum de bonis avitis usufructuariò gaudere debeant, Magistratus cognitioni & decisioni relinquatur; Quæ omnia in illum saltem casum sunt intelligenda, quando scil. liberi vigesimum ætatis annum nondum adimpleverint, hoc enim plenariè adimpleto omnia bona avita, sive Parentes in Statu Viduitatis permaneant, sive ad secunda vota transeant, indistinctè liberis pleno jure sunt relinquenda & extradenda; *Jure Württembergico* Parentes de hisce bonis gaudent usufructu, usque dum liberi vigesimum quintum

annum adimpleverint, nisi Liberi in matrimonio sint constituti, quibus hujusmodi bona nullo ætatis habito respectu statim plenariè sunt deferenda *J.P.W. part. 4. tit. 9. §. Was aber.*

TH. XXVI.

De Fœmi-
narum Cu-
ratoribus.

Inter alia in Nostris Statutis hæreditariis ordinata, & hoc præscriptum habemus, quod præmortuo marito liberos relincente, viduæ atque Liberis intra mensis spatium à Senatu Curatores & Inspectores sint adjungendi, qui Ipsis tam in judicialibus quam extrajudicialibus actibus, sive illorum personam, sive bona, concernentibus, assistere debeant, juxta *tot. §. Wann sich auch begibt.* Et cum in margine hujus §. in Nostrorum Statutorum libris semper notata videamus hæc Verba: *Ulmisch Ordnung*: per hæc nihil aliud indicatur, quam hanc constitutionem & dispositionem Juri Statutario Ulmensi vel conformem, vel ex illo desumptam esse: videantur *Ord. Ulmens. part. 1. tit. 3 & part. 2. tit. 5. §. Alle Wittiben.* Cum autem hæc dispositio expressè & specificè de illo tantum casu, quando cum relicta vidua simul liberi existunt, loqui videatur, non absque causa olim, uti à Domino Parente accepi, in judicio contradictorio dubitatum & disputatum fuit, An superstes vidua nullis existentibus liberis in judicio sive extra judicium Curatore opus habeat? Nam si tanquam in Casu in Nostris Statutis specificè non satis clarè expresso, ad jus commune Civile recurramus, expeditum est: Fœminas Majorenes sive nuptas sive innuptas legitimam standi pro se in judicio personam habere, inque eodem solas comparere, litigare, propriasque causas & res tractare atque deduce-
re

re valere. *l. i. §. 5. ff. de postul. l. 4. vers. nisi in rem suam. Cod. de procur. Nov. 134. cap. 9. Wesembec. ad tit. de postul. n. 4. Et ad tit. Cod. qui leg. person. stand. in judic. habent. n. 2.* Imò extra iudicium pro lubitu absque ullo Curatore, etiam inscio marito, contrahere & sua bona tam immobilia quam mobilia donare, oppignorare, alienare, & regulariter omnia negotia, à quibus foeminae in specie non repelluntur, rectè & validè gerere & administrare posse; *pr. Inst. de Curat. l. 6. Cod. de revoc. donat. l. 35. Cod. de donat. l. 12. Cod. de pignor. l. 8. Cod. de pact. convent. Carpzov. J. For. part. 2. const. 15. def. 6. num. 4. Wibel. in tract. de contract. Mulier. c. 1 n. 45. & c. 3. num. 6.* Quod licet olim pronuncians Eslingæ cum hac interlocutoria publicatae inserta ratione quoque observatum fuerit: **Weilen Vermög der gemeinen Rechten/ welche durch kein Statutum oder observantiam in contrarium allhier abrogiret/ die Weibes Personen vor sich in Judicio zu stehen wol befugt:** in causa: B. contra W. de dato 13. Sept. 1677. tamen de contraria observantia plura præsertim novissima allegari possent præjudicia ipsis Nostris Statutis magis conformia, quæ non tantum ad casum, quando præmortuo marito cum uxore relicta liberi existunt, sunt restringenda, quo sensu nec liberis tutores nullo existente Parente adjungendos esse, æquè concludere liceret; Ideoque **§. Wann sich auch begibt/** non exclusivè est intelligendus; quando enim eadem militat ratio in excluso quæ in incluso, vel inclusum & exclusum regulantur eadem ratione, tunc illa juris regula notissima, unius inclusionem alterius esse exclusionem, neutiquam obtinet. *Menoch. cons. 197. n. 83. vers. non obstat primò. Decius cons. 11.*

n.17. & cons.99. column. final. vers. tertio non obstat. Simon. de Pratis. de interpret. ult. volunt. fol.448. n.39 & 40. In hoc enim Uxori mortuo marito propter fragilitatem sexus Nostra Statuta consulere voluere, quæ fragilitas Uxoribus, sive adsint liberi, sive nulli supersint, quasi innata semper inhæret: Natura enim mulierum fragilis & infirma est, l.2. §.2. ff. ad SCtum Vellejan. l.9. in pr. ff. de jur. & fact. ignor. l.1. §.10. ff. ad SCtum Turpill. & plerumque ipsæ contra propria commoda laborant, l.4. in fin. Cod. de Sponsal. l.23. Cod. de nupt. Dn. Wibel. diæt. tract. cap.3. n.9. & seqq. Ideoque Jure Longobardico foeminae in perpetua erant tutela, Goth. Anton. disp. feud.2. th.2. Besold. in tract. de tutel. cap.14. Quod etiam Jure Saxonico observatur. LandR. lib.1. tit.44. & 46. Constit. Elector. part.2. const.15. ibiq. Carpzov. Itemque Lubecensi juxta Mev. ad Jus Lubecens. ad artic.1. n.8. Imò generali ferè ubi que locorum in Germania, Gallia, Hispania, Italia recepta consuetudine potestatem sine consensu mariti vel curatoris contrahendi & bona sua liberè administrandi foeminis dictam ob rationem saluberrimè esse ademptam refert B. Dn. D. Lauterbach. in different. Jur. Civ. & Württemb. ad part.2. tit.29. Hocque præsertim vicino Jure Württembergico specialiter sancitum. J.P.W. part.2. tit.29. §. Ferner wollen wir. Plebst. in Disp. ad J.P.W.2. th.242. & Besold. Disp.2. th.161. Ita ut supra allegato absque dubio sine sufficienti Nostrorum Statutorum cognitione publicato præjudicio, ipsa litera Nostri Statuti apertè repugnare videatur, cujus §. Wann sich auch begibt/ tanquam ad ordinationem Ulmensem se referens, meritò suam interpretationem ex relato recipit; Loquuntur autem

Statuta

Statuta Ulmensia indistinctè 1. de omnibus viduis per verba : *Alle Wittwen. part. 2. tit. 5.* 2. De omnibus pupillis, sive sint majorenes sive minorenes, adeoque etiam foeminis, in verbis alleg. §. *Sie seyen jung oder alt.* Exceptis solis masculis majorennibus; §. 2. *Es wäre dann;* In quem sensum & Nostra Statuta interpretari neutiquam dubitamus. Hancque observantiam, quæ, uti supra deductum, semper optima Statutorum interpres, præsertim in actibus judicialibus apud nos in potiori usu esse, si præjudiciis certare velimus, plurimis demonstrare possemus. Videatur tot. *Process.* in causa *Gröningerischer* Curatorum contra *Pichlerin*/ ubi in omnibus interlocutis & ipsa definitiva non tantum Reæ, sed etiam ipsius Curatoris ad litem nomen semper expressum habemus; Et sic, ut cætera taceamus, novissimè viduæ *Palmianæ* exorto Processu in puncto juris retractus judicialiter Curator in litem adjunctus est; Videatur *Protocollum de dato* 11. Nov. 1700. Foeminas ergò in omnibus actibus judicialibus Curatoribus opus habere & genuinus Nostrorum Statutorum sensus postulat, & ipsa communior docet observantia, quæ semper omne tollit dubium, *Cephal. conf. 331. num. 31. Joh. Petr. Surdus conf. 140. num. 43. Bursat. conf. 326. n. 6.* Et hi Curatores vulgò vocantur *Kriegs-Vögte/* oder *Kriegerische Vormündere.* Quorum officium finitur causa finita (limitata enim causa limitatum producit effectum, & cessante causa cessat effectus. *cap. cum cessante. 60. X. de appellat.*) nisi ad omnes causas sint dati. *Gail. lib. 2. obs. 108. n. 6. Mynsing. cent. 1. obs. 87.* Secus autem observatur in actibus extrajudicialibus, in quibus à stricto Nostrorum Statuto-

rum tenore per contrariam observantiam discessum est. Licet enim olim Eslingæ fœminæ viduæ etiam in testamentis ordinandis Curatores adhibuerint, uti apparet ex supra jam allegata formula, quam refert **Samson Herzog**/ quondam Reipublicæ Eslingensis Advocatus, in verbis, **sonderlich aber mit Wissen und Willen des NN. als zu diesen Sachen erbetteten Vogts. in formular. Testam. pag. 115.** tamen nostris hodiernis moribus fœminæ teste quotidiana observantia omnia contrahendo, disponendo, negociando suaque administrando sine curatoribus liberè exercent, & licet interdum etiam in actibus extrajudicialibus Curatores adhibeant, hoc non necessitate Juris Statutarii obstrictæ, sed proprio motu faciunt, ut scilicet ipsis consilio assistant, & suam auctoritatem interponant, quales Curatores hodiè vocamus **Einrathere / Beyständige / consultores.** *Besold. in Thes. Pract. vocab. Kriegerischer Vormund.* Unde plerumque in instrumentis ponitur, **sambt meinem ad hunc actum specialiter erbetteten Kriegs-Vogt oder Beystand.** Ita ut de Jure & observantia Eslingensi viduis & fœminis Curatores in litem semper adjungi debeant, in aliis autem casibus aut ab illis ipsis specialiter rogari, aut pro lubitu planè præteriri possint.

De distra-
ctione pi-
gnorum.

TH. XXVII.

Haftenus deducta ex Nostro Jure Eslingensi Statutario, quod in specie vocamus **Erb. und Verfangens schaffe Recht**/ desumpta sunt, quibus pro tenuitate ingenii declaratis jam missis, duas adhucdum in quotidianam praxin incurrentes quæstiones discutiendas adjicere liceat: Quarum prima hæc est: Quo sensu scili-

scilicet sit intelligenda seu exequenda consueta illa præsertim in mutui & emptionis venditionis Contractibus adjecta formula, im Fall nicht einhaltend / oder saumsliger Bezahlung das Unterpfind / nach der Stadt Eslingen Gebrauch und Recht Unterpfinds Weis anzugreifen / Macht zu haben: quæ formula, uti ex nostris Civitatum libris Stadt-Büchern perspiciendum, à multis retro annis usque in hæc nostra tempora in Contractibus semper observata fuit; Abstrahendo igitur à Jure Civili communi, quod quoad distractionem pignorum Doctoribus id passim attestantibus in plurimorum locorum statutis variè correctum est, *D. Lauterbach. in differ. Jur. Civ. & Württemb. part. 1. tit. 75. th. 17.* quid apud Nos Eslingæ obtineat, vel potius obtinere debeat, principaliter inquirendum erit. Provocante ergo hæc clausula ad Jus & consuetudinem Eslingensium, in quo hoc Jus sive scriptum sive non scriptum consistat, examinandum venit: Jus scriptum quod attinet, & quomodo in distractione pignorum sit procedendum, expressam habemus constitutionem in nostro *ordinationum libro*, quæ inscribitur *Verbesserung der neuen in An. 1590. angerichteten Ganth Ordnung* / quæ ab Amplissimo Senatu die 13. Maji An. 1602. revisa, correctâ & postmodum in An. 1633. consueto statutorum libro, qui annali homagii die universis Civibus prælegitur, per modum relationis ad ipsam ordinationem hisce formalibus, *daß sie in allweg steiff und vest gehalten werden solle* / inserta, & demum ne statutorum liber prælegendus in immensum excrescat cum aliis ordinationibus in libro statutorum de An. 1980. omiſsa non tamen ideò sublata fuit: Licet enim in subsecutis

annis

annis quoad formalia accidentalia non ita strictè , in substantialibus tamen tanquam ipsi Juri Communi conformibus semper observata fuit: Ita ut Creditores in bona hypothecata, si sub hasta vendi non potuerint, facta per Deputatos certa æstimatione, pro quantitate tam debiti principalis quam interesse & expensarum realiter immissi sint; & adhucdum quotidie immitantur; Cessante apud Nos illa *Lege 4. §. 1. ff. de Leg. Commissor.* quam duram vocat *Bachov. ad Wesembec. in lib. ff. 18. tit. 3. in f.* & rarò ab usuraria labe immunem, *Schütz in compend. Jur. ad lib. ff. 18. tit. 3.* Vicijus Emptor promisso tempore non solvens, si quam partem pretii dederit, illam ob fidem non servatam una cum arrha ipso jure amittere solet; Quam Legem juxta allegatam nostram ordinationem eo semper restringimus, ut inter fructus perceptos & datum pretium æqualitas observetur, ne scilicet Creditor plus, quam debitum principale interesse requirunt, accipiat; *Hahn. ad Wesembec. lib. ff. 18. tit. 3. in f. Mastert. de Lege Commiss. q. 4.* Quod & de *Jure Provinciali Württembergico* cum simili moderamine sancitum est. *Part. 2. tit. 10. §. 1.* Si autem in distractione Pignorum res eò pervenerit, ut simul concursus Creditorum instituendus sit, in locatione Creditorum Jus Civile hætenus plerumque cum hac tamen cautela, ut debita publica qualiacunque sive ad ipsam Civitatem sive ad Xenodochium & alias publicas administrationes ex quocunque titulo spectantia omnibus aliis singulari prælationis jure non gaudentibus, excepta tamen mercede ex ædibus conductis debita, præferenda sint: per clarissima verba in anterioribus statutorum libris sub rubrica: **Niemanden auß der Stadt**

Stadt Seckelleyhen/ in f. apposita: Daß der Stadt und dero zugethanen Verwaltungen ihr außstehender Schulden vorauß vor männiglichem anderem entrichtet / außgenommen Haußzinsß/ der vorab bezahlet werden solle.

TH. XXVIII.

Secunda & ultima Quæstio; Quando Assessores Senatus atque Judiciæ apud Nos discedere teneantur? jam olim mediante *consilio Juridico die 12. Maij 1675.* eò decisa fuit, ut scilicet verba Nostrorum Statutorum generalia, daß keiner seines Freundes wegen außtreten solle/ er wisse dann gründlich / daß er ihme zum dritten Grad und näher verwandt seye. Statuten-Buch §. Item im Rath/ juxta computationem graduum Juris Civilis inclusivè sint intelligenda, & non tantum ad consanguinitatem, sed etiam affinitatem extendenda. Discrepantia à Jure Civili, quo in negotiis privatis pater filium & filius patrem potest habere Judicem. *l. 77. & seq. ff. de Jud. l. 13. §. fin. ff. ad Sctum Trebell.* Etiam aliquatenus à Jure Württembergico; Ubi omnes assessores Litigantibus quarto cognationis vel affinitatis gradu inclusivè juncti judicio interesse prohibentur, *part. 1. tit. 2.* Cui nostræ sanctioni eò strictius inhærendum, ne reverentia & affectus privatus libertatem judicandi impediendo utilitati publicæ ac simul justitiæ injuriam faciant. Ut omnes sinistrae suspiciones, quibus nunquam fermè carent judicantium actiones, declinentur, contra quam, ut vocat, Reipublicæ Pestem *Lauterbach. in differ. J. C. & W. part. 1. tit. 2.* hoc saluberrimum remedium præscriptum est. Lites enim sine omni suspicione debent procedere *l. 16. Cod. de Jud. videatur Ord. Cameral. de An. 1555. part. 1. tit. 13.* Unde hujus Statuti futuræ me-

De sena-
torum di-
cessu.

K

spon-

sponso consultum fuit: Quod in loco Senatus atque
 Judicii certa Tabula continens descriptionem disce-
 dentium pro singulorum Senatorum atque Judicum
 perpetua informatione suspendi debeat. Cujus omis-
 sionem praesenti schemate, & quidem, ut in omnium
 intellectum cadat, germanico idiomate additis adden-
 dis supplere à nostro instituto non alienum duximus;
 Ita ut qui in hoc schemate non continentur, etiam ex-
 cedere non teneantur; sed eo ipso pro exclusis habe-
 antur.

Von Rath und Gericht haben abzutretten als Bluts-Verwandte

^{1.} In aufsteigender Linea.	^{2.} In absteigender Linea.
Vater Mutter. 1. grad.	Sohn Tochter. 1. grad.
Ehni Ahna. 2.	Enckel. 2.
Uhr-Ehni Uhr-Ahna. 3.	Uhr-Enckel. 3.

^{3.}
In der Neben- und Collateral-Linea.

Bruder Schwester. 2. grad.

Bruder- und Schwester-Kindere. 3.

Vater Mutter { Brüder oder
 Schwester. 3. grad.

Als Verschwägerte haben abzutretten.

In absteigender Linea.	In aufsteigender Linea.
^{1. Grad.}	^{1. Grad.}
Tochtermann: Söhnin.	Schwehr: Schwieger.
Stieffsohn: Stiefftochter.	Stieffvater: Stieffmutter.
^{2. Grad.}	^{2. Grad.}
Der Enckel Mann oder Weib.	Alle-Schwehr: Alle-Schwies- ger.
Stieff-Enckel.	Stieff-Ehni Stieff-Ahna.
	^{3. Grad.}

<p align="center">3. Grad.</p> <p>der Uhr-Enckel Mann oder Weib.</p> <p>Stieff-Uhr-Enckel.</p>	<p align="center">3. Grad.</p> <p>Uhr-ale Schwehr oder Schwiger.</p> <p>Uhr-ale Stieff-Ehni Uhr-ale Stieff-Ahna.</p>
--	--

In der Collateral-Linea.

2. Grad.

Bruders Weib.
Schwester Mann.

3. Grad.

Bruders Weibs Schwester/ oder Bruder.
Der Schwester Manns Bruder oder Schwester.
Vater oder Mutters Bruders und Schwestern
Ehegatten.
Bruder und Schwester Kindere Ehegatten.
Des Schwehrs oder Schwiger Geschwistrige.

Quod autem in hoc schemate tam in computatione consanguinitatis quam affinitatis fratrum & Sororum Liberorum mentio facta fuerit, hoc non in illum casum, quando inter ipsos Fratrum & Sororum liberos exorta quaestio, sed respectu ascendentium & descendentium intelligendum: Fratrum & Sororum enim liberos quarto gradu inter se conjunctos esse quoad computationem Civilem expediti juris est. Discedunt ergo non ut Geschwistrige Kinder/ sed ut Bruder/ oder Schwester/ Kinder. Sive sint duorum fratrum liberi, qui proprie patruales vocantur, sive duorum sororum, qui consobrini appellantur, quasi consororini, sive fratris & sororis, qui amitini dicuntur. *Harpprecht ad Inst. lib. 1. tit. 10. §. 4. in pr.* Sed quid obtinere debeat, si assessor aequaliter utrisque partibus conjunctus esset, qualem limitationem tradit *Marant.*

in specul. fol. 579. n. 29. Et tunc ob discessionis rationem cessantem neminem discedere teneri sentire videtur *Lauterbach. in differ. J.C. & P.W. part. 1. tit. 2. num. 6. in f.* Quod Nostris Statutis non distinguuntibus pro qualitate causarum & personarum arbitrio Judicis merito relinquimus.

TH. XXIX.

De computanda affinitate.

Circa affinitatem non rarò hic abusus in discedendo intervenire solet, quod & Illi, qui propriè non sunt affines, tamen se discedere oportere sibi persuasum habeant, falso insistentes præsupposito, quasi uxoris affinis & mariti affinis reputandus sit; Affinitas enim non ex alterius affinitatis sed cognationis seu agnationis & sanguinis necessitate profluit, per *l. 4. §. 3. ff. de gradib. cap. quod super X. de consanguin. & affin.* Ita ut vocabulum affinitatis hodiè sæpe latè & abusivè accipiatur, & interdum potius honoris & amicitiae nomen esse videatur. *Sithmann. de arb. consanguin. c. 4. n. 34. B. Dn. D. Lauterbach. in disp. de sing. affin. Jure §. 2. n. 31.*

TH. XXX.

Abusus in discedendo.

Tandem & hic taxandus abusus est, quando exceptio à regula in Nostris Statutis expressa: Neminem in causa interesse publicum concernente discedere teneri. *Statuten-Buch. §. Wo aber eine Handlung/* in hunc sinistram sensum torqueri tentatum est; Ut si saltem per indirectum vel aliqualem consequentiam, causa coram Judicio decidenda, interesse publicum, consanguineos autem seu affines principaliter & directè concernat, discessionem haud locum habere quibusdam visum fuerit. Nam hoc sensu indirectè consequenter & minus principaliter omnes tandem actiones & casus ad interesse publicum reduci possent; Cum & suum
cuique

cuique tribui & delicta non debere manere impunita æque ipsius Reipublicæ interfit; per vulgata.

Epilogus.

ET hæc sunt, quæ præeunte & ducente manu jussuq; dilecti Domini Parentis, non tamen nisi iudicio prius & oculis Amplissimæ Juridicæ Facultatis Argentoratensis subjecta atq; revisa, præsentis hac inaugurali Disputatione pro viribus defendenda suscepi, partibus si non in totum Authoris, Defensoris tamen mihi omninò vendicatis; Neque enim clam quenquam esse hoc velim, à tota hac Disputatione Parentis calammuspian omnino abfuisse; Quod equidem nec Scribenti, nec Defendenti, nec Ducenti nec Ducto mihi probro esse poterit, qui haud dubiè spero, Mihi, cujus fuit Theses hæc in publica Cathedra defendere, suo eisdem tempore, in ipso foro in succum quod ajunt & sanguinem conversas rursus exhibendi non defuturas esse occasiones, DEO necessarias ad id in usu practico vires mihi largituro; Si verò vel maximè non omnia acu tacta, vel debita in omnibus cautio non adhibita, vel aliquid insuper laboris adhucdum deesse, vel Nos Scyllam & Charybdin accuratiorum quæstionum præternavigasse, uni forsan atque alteri videri possemus, id quæso, quicumque Illi fuerint, ingenii mei tenuitati vel concatenatis Dn. Parentis, qui in hæc elaboratione, uti jam dictum, suasor mihi & ductor extitit, laboribus imputent; Ita enim vel ipse Demosthenes Ciceroni, vel Homerus Horatio dormire quandoque visus est: Ea propter laborem hunc præsentem non nisi bonis, doctis, sapientibus JureConsultis verisque Philosophis Nostræque cum primis Patriæ Patribus intimè & de meliori commendatum volo; Imperitorum contra & malevolorum verba & Judicia tanti æstimans, quanti olim Demetrius, cujus mentem liberiori calamo explicat doctissimus *Seneca Epist. 91.* Cum solennissima sanctissimaque contestatione, hæc qualiacunq; sint, non eo fine & scopo scripta esse, ut vel ratione præteriti, præsentis vel futuri aut Tertio aut Juri nostro Topico ullo modo præjudicent; Quin potius spero, hujus tenuissimi licet laboris nostri fructus non fore omninò

omninò

omninò nullos, sed suam inde utilitatem, sua inde commoda emerfura, & ad Rempublicam Civesque nostros redundatura esse; Id quod DEUS faxit; Et Efslingensem Rempubli-
cam factam testamque porrò clementissimè restaurando con-
servet, ne, uti nuperrimè in antecedenti mea *Disputatione*, ad
Jus Legislatorium Territoriale Civitatum Imperialium, sub Præsidio
Excellentissimi Domini D. Feltzj Præceptoris instar Parentis ætatem
venerandi habita, ex animo vovi & precatus sum, sæva illa
Decantati Monzambani cap. 2. §. 13. vaticinia experiatur, sed
potius Illustris Obrechtii ad dictum locum notato voto in sera us-
que secula securè fruatur; Quibus repetitis & hancce Inau-
guralem concludimus.

*Tu verò fruerè his lector; Quæ pagina nostra
Exhibet, illa boni consule cuncta, Vale!*



Egressus Patriam Astreæ sacra templa frequentans,
Præcipuè divæ patria thura litas.
Nec cessat Patriæ pro Te pia cura vicissim:
Sollicitè reduci præmia prompta parat.

Bono omine gratulatur

JO. SCHILTER.

Ad Nobilissimum

DN. GODELMANNUM

Jus patrium cum Romano, Germanico & Canonico
inauguraliter conferentem!

Quod si Doctorem fas est Utriusque vocare,
Qui Leges Romæ potis est Canonesque docere;
Qui simul Imperii, qui patria jura peragrat,
Quidni quadruplicem Doctorem jure vocarem?

JOHANNES HENRICUS FELTZ,
D. Instit. Imp. & Jur. Publ. P. P. Ord.

F I N I S.